DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA
DE
PRIMIS VIIS
VT FONTE
PLVRIMORVM MORBORVM

QVAM
RECTORE VNIVERSITATIS MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO
IO. CAROLO LVDOVICO,
COMITE PALATINO RHENI,
VTRIVSQVE BAVARIAE DVCE, rel. rel.
EQVITE AVRATO ORDINIS S. HVBERTI,
PRAESIDE
VIRO EXCELLENTISSIMO AC EXPERIENTISSIMO
DOMINO
PHILIPPO FRIDERICO GMELIN,
MED. DOCT. BOT. ET CHEM. PROF. PVBL. ORD.
SOCC. REG. SCIENT. LOND. ET GOETT. SODALI,
PRAECEPTORE SVO AETERNVM COLENDO,
AD CONSEQVENDOS SVMMOS IN MEDICINA HONORES
DIE 7. MART. A. MDCCLXI.
HORIS LOCOQVE CONSVETIS
DEFENDET AVCTOR
GEORGIVS THEOPHILVS OFFTERDINGER, *Bablingensis.*

TVBINGAE, TYPIS ERHARDIANIS.



PROLOGVS.

Variæ variorum Auctorum circa morborum origines & causſas omni tempore fuerunt ſententiæ, quas ſpeciatim diſcutere, vel prolixe refutare huius loci non eſt. Alii toto cœlo aberrabant, alii propius ad veritatem accedebant. Difficultatem eruendæ veritatis inter alia mox memoranda procul dubio maximam peperit non obſeruatum ſatis ingens in praxi diſcrimen inter cauſas morborum proximas, & manifeſtas ſiue antecedentes & occaſionales. Ita v. gr. quando Methodici ſtrictum & laxum vniuerſalem morborum cauſam, falſo quidem & absque omni fere vſu, proclamarunt, proxima ſubintelligenda; quando vero Stahliani ex diuerſis diuerſa ætate ſolennibus hæmorrhagiis, inprimis vero narium, & hæmorrhoidibus maxime adhuc naturalibus, atque in ſexu ſequiori menſtruis, morborum origines deducunt, has eorum cauſas antecedentes rectius omnino eſſe volunt. Nimirum, vt fere fit, Medici inde ab initio fere conditæ artis feſtinanter nimis, altiſſima quæuis concupiſcentes, & neſcio quæ ſublimia mox affectantes de cauſis morborum proximis, ingenii vtplurimum figmentis, incertis ſæpiſſime, controuerſis, nonnunquam plane ignotis, maximo cum ſtudio, vtut ad curationem proprie nil faciant, philoſophabantur, ſpretis manifeſtis, in ſenſus incurrentibus, at-

 que

que experientia potissimum & sedula obseruatione peruestigandis, sed maximi in omni re medica momenti, tutissimum semper & optimum curationis tramitem indigitantibus. Nos igitur de proxima parum curiosi, respeximus maxime antecedentes, atque Hippocratem Parentem Medicinae & Atlantem, quam hactenus humeris suis sustinuit, ne rueret, inprimis secuti, interque recentiores ill. FR. HOFFMANNVM, qui hanc materiam prae aliis excoluit, has maxime in visceribus chylopoeis quaesiuimus, abiecto omni hypothesium splendido fuco & inani ludibrio, peste salutaris alias artis, obseruationibus inprimis & ipsius morbi phaenomenis innixi: non neglectis caeteroqui vniuersalibus, theoreticis, & quae ex certis principiis, nec saltem probabilibus, vel prorsus fictitiis casto ratiocinio deduci poterant: cum generatim in medicina, quantum fieri potest, ratio semper cum experientia coniungi debeat, alteraque ex altera probari. Attendendum tamen semper, ne imaginationis luxurie ad figmenta & fabulas abripiamur, ac laudabili quidem studio & praeclaro sane, atque vtinam in vniuersa medicina applicabili, omnia quaecunque phaenomena corporis tam sani, quam aegroti ex sola ratione demonstrandi inde a primis principiis, varia demum excogitare diuersaque artificia adhibere coacti simus, atque ita hypotheses hypothesibus cumulemus, quae dein, si experientiam, & ipsam naturam nunquam mentientem consulamus, vtplurimum falsissimae deprehenduntur, cum contra, si initium ratiocinationis ab experientia, quae iisdem sub circumstantiis semper eadem est, & fundamentum omnis cognitionis medicae, fiat, errare nunquam possimus. Atque potius est, ingenue fateri, quantum sit, quod nesciamus, quam, vt eo doctiores videamur, incautos misere circumuenire. Neque enim empirica ideo est nostra ars & incerta, sed saltem non tota rationalis, vti v. gr. Physica & Mathesis applicata. Necdum licet, vti in Mathesi pura, ex definitionibus & consequentibus inde axiomatibus libero ratiocinii flumine, & vnica, concatenata argumentorum serie, caetera quaeuis theoremata deducere, atque adeo totam aliquam scientiam exstruere. Ab ipsa vero, quod in transitu saltem dixerim, mathematica cognitione,

tione, quæ quantitates continuas & diſcretas dimetitur, atque in calculum reducit, remotiſſimi adhuc ſumus. Sed parum hoc refert. Artifex horologium egregie reparare poteſt, etſi neque mathematica, neque vel ipſa philoſophica machinæ huius cognitione imbutus ſit. Ita & nos curamus, & curamus feliciſſime, etſi neque cauſas proximas morborum ſciamus, i. e. eſſentias, neque mathematica accuratione determinare poſſimus quantitatem ſpecificæ labis fluidorum & ſolidorum, morbique magnitudinem: ſed manifeſtiores ſaltem ſecuti, & ad varia excretorum vitia, ſemper in conſpectum prodeuntia, inprimis per aluum, ſudores, vrinas, ſanguinem vena ſecta miſſum, hæmorrhoides, menſtrua, abſceſſus &c. & inde pendentes actionum naturalium læſiones attenti, dein ad naturæ vias & operationes medicatrices, ſollicite indagando, quodnam genus excretionis promouere intendat, qualem criſin, ſeu lyſin, quo loco, quoue modo efficere ſatagat, denique de medicamentorum virtute & effectibus, in huius vel illius indicationis inde formatæ executione obtinenda, ex centenis aliorum experientiis certi, etſi modum operandi neſciamus, ita tandem optato & tutiſſimo curationis tramite potiamur. Sed e diuerticulo in viam. Fecimus hanc excurſionem ob ſeculi noſtri, & maximi ſæpe nominis Virorum præcipitem nimis ingenii abuſum, qui inexplebili quadam, & laudabili omnino, maximisque ingeniis propria cupiditate omnia ſciendi, eruendi, enodandi, & ſyſtema veritatum mox exſtruendi in oppoſitum ſeducti ſunt. Facile nimis hallucinamur, quando ex fontibus generalibus omnia deducturi eadem generalia, ſub iuſtis limitationibus ſaltem vera, ad ſpecialia quæque indiſcriminatim applicare volumus: vt quando ex theoria triuiali reſolutionis inflammationum, antequam ad qualemcunque abſceſſum peruenire poſſint, idem in variolis experiri, & eodem modo ſpecificam iſtam, & ineluctabilem exanthematum ad cutem determinationem auertere conamur. Et quæ alia huius generis exempla plura ſunt. Omniaque hæc facile concedi poſſent, niſi vel male fauſte in curatione applicarentur, vel damnoſa inde atque erronea in praxi corollaria promanarent. Sed redeamus ad ſcopum. Addere

potuissemus vniuersim instrumenta generationis: quatenus ex his & visceribus chylopoieticis plerosque morbos originem suam vltimam trahere statuimus. Sed cum & ipsarum partium generationis labes semper cum vitiis chylopœseos coniunctæ sint, (quum omnia tandem a prima coctione dependeant) & ipsa lues venerea nunquam sine socio vitio officinæ chyli, præsertim hepatis fit, & instar reliquorum contagiorum hoc viscus itidem inprimis aggrediatur, vt vel ex aphrodisiacis Luisini constat, aliique veteres recte pridem statuerunt, instrumenta speciei propagandæ inseruientia omisimus. Sed &, quodsi hominum indolem moraliter & consideratius intueamur, & præsertim seculi nostri genium & pathemata dominantia, videbimus sane, rem eodem redire, & miseros mortales, alios ventri magis obedire, alios voluptatibus carnis capi, vti hamo pisces. Pauci enim ex necessitate naturæ, & longæuo senio tandem obdormiunt, sed plurimi intemperantia & luxuria præmaturæ mortis causas sibi sensim sensimque parant. Atque hi bini excessus arctissime coniuncti sunt, vnus ad alterum stimulat, vnusque alterum fouet. Utrarumque denique partium nerui sunt sensibilissimi, quibus cum reliquis, & remotissimis corporis humani prouinciis intimum est commercium. De themate electo non est, quod multa dicam. Malui aliquod, quod & in praxi, quorsum omnia tandem nostra conamina collineant, vsum haberet. Atqui hoc sane maximi in practicis est momenti & vtilitatis. Quodsi certo scimus, plerorumque morborum causas antecedentes in visceribus chylopoieticis latere, semper etiam in curatione primario ad eadem respiciemus. Atqui hoc in plurimis morbis, quibus ne tantillum quidem commercii cum officina chyli esse credidisses, ostendere allaborauimus. Forsitan & plura noua, nec inutilia, in graui adeo & generali argumento inuenies. Denique monendum, nostram sententiam non esse, omnes omnino morbos ex primis viis deducendos esse, sed plerosque saltem: a potiori enim vbique fit denominatio. Facile nimis in errores & absurditates delabimur, quando ex vnico principio omnia deducere conamur. Scilicet

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Ultra quos citraque nequit consistere rectum.

§. 1.

§. 1.

Incumbit itaque nobis demonſtrare, vtplurimum in primis viis abſconditas eſſe cauſas morborum. Commode totam noſtram tractationem diuidere poterimus in duas partes: quarum prima vniuerſalia argumenta affert ex Medicinæ doctrinis generalibus, ſ. ſic dictis Inſtitutionibus: altera ſpecialia ex ipſo morborum ſpecialium, quos ex ordine percurremus, peculiari nexu cum primis viis, adeoque ex pathologia & therapia ſpeciali.

§. 2.

Erunt itaque plurimi morbi vel ex primis viis conſenſuales, vel tralatitii. Scilicet vel neruorum ſaltem interuentione & commercio ex prima regione reliquas partes infeſtabunt, materia morboſa in primis viis ſemper manente, vel ex ipſa colluuie materiali chyli ſpecifice vitiati ex primis viis in reliquum corpus aduecta, ibique morbum gignente, enaſcentur.

§. 3.

Morbus conſenſualis eſt, cuius cauſa antecedens vel procathartica ex alio loco affligit, ac morbus reſidet. Atque uti plurimi ſane morbi nonniſi conſenſuales, pauci idiopathici, ita conſenſualium plerique ex viſceribus imi ventris conſenſuales. Maximique ſane in praxi eſt momenti & uſus, & totius curationis fundamentum, ſollicite ante omnia indagare in quouis morbo, vtrum ſit conſenſualis, an idiopathicus? Proxima cauſa cum ſit, quæ morbum proxime efficit, i. e. qua poſita morbus etiam ponitur, eſt ipſa eſſentia morbi, adeoque morbus in abſtracto ipſe, neque alio loco, ac morbus, hærere poteſt. Quilibet adeo morbus ſpecificam cauſam proximam habet. Eſt hæc ſpecifica iſta labes fluidorum & ſolidorum, viriumque animalium, *a*) &

a) Scilicet, quidquid in corpore humano evenit, partim ex ſtructura, i. e. fabrica & miſcela partium, partim ex motu, (cum nulla mutatio in corpore eueniat absque motu) i. e. viribus animalibus, quæ variæ ſunt, & vel motibus proprie dictis, vel ſenſationibus & operationibus animæ inſeruiunt, motrices proprie dictæ, perceptrices, aliæque his ſubalternæ, coctrices, ſecretoriæ, nutritoriæ, ſuppuratoriæ, plaſticæ &c. explicari

& inde pendentium actionum tam vitalium, quam naturalium, & animalium, qua a naturali & sana conditione differunt, quam utinam sciremus! ita enim specificas curationes morbis opponere possemus. Sed quantum distamus ab hoc! Colligitur ex principiis anatomicis & physiologicis cum phænomenis morbi comparatis. Est adeoque ratiocinium ex collatione diversarum thesium Anatomiæ & Physiologiæ cum ipsis morbi symptomatibus, prouti hæc inuicem componere, combinare, & intellectui nostro originem talis alicuius effectus, qualis morbus est, perspicuam & possibilem reddere possumus, enatum. Facile igitur patet, quam graues difficultates cum hoc argumentandi modo coniunctæ sint: & cum res tandem ad vltimas illas subtilitates physiologicas, neque sensibus, neque experimentis, nisi plerumque per ambages & ancipites anfractus, manifestas, probabiles sæpe saltem, interdum coniecturales, obscuras, plane incognitas, atque ad vltima ista specifica fluidorum & solidorum vitia redeat, vltro perspicimus, ratiocinium hoc admodum mancum esse debere, & conclusionem sequi partem debiliorem: adeoque causas morborum proximas esse valde incertas. Sed nec vsum habent in praxi. Sunt enim nonnisi effectus ex concursu antecedentium & occasionalium: quum neutra harum morbum per se pariat, occasionalis non, nisi adfuerit antecedens, neque antecedens actu in morbum erumpat, nisi olim aliquando peculiaris accesserit procatharsis. Adeoque remotis ambabus his manifestioribus remouetur eo ipso proxima, neque peculiari curatione, & indicatione, vt aiunt, curatoria, eget. Sublata enim causa tollitur effectus. Egregie igitur ignorare possumus causam mor-

cari debet: adeoque & morbus ipse, qui reuera nil aliud est, quam vitium aliquod vel in structura, vel in viribus animalibus. Sed vtraque hæc principia, quibus omnis ratiocinatio de corpore sano & ægroto superstrui debet, arctissime connexa sunt, & miram sympathiam inter se inuicem habent, ita vt si vnum afficiatur, alterum mox in consensum trahatur, nec vnquam vtriusque principii vinculum ante mortem penitus dissoluitur. Inde deducimus istam autocratiam naturæ, & mirificas eius operationes medicatrices, prorsusque stupendos sibi subueniendi modos.

morborum proximam, & nihilominus morbum curare, * neque ſane aliter curare, niſi mediate, cauſas manifeſtas tollendo, non proximam ita immediate, vti putant, quæ ipſa effectus eſt, neque cauſa. Omnis igitur disquiſitio de cauſa proxima, quoad curationem ſuperflua eſt. Atque hoc eſt illuſtre exemplum infinitæ benignitatis & prouidentiæ DEI T. O. M. qui, cum artificioſiſſime, & modo nobis incomprehenſibili corpus humanum conſtruxerit, ita tamen intellectui noſtro adeo limitato ſubvenit, vt, quamuis intimam eius ſtructuram & vltima quaſi repagula neſciamus, idem tamen ex cauſis manifeſtis & ſimplicibus, ab innumeris morbis & dira morte vindicare poſſimus. Vnius eiusdemque morbi nonniſi vnica datur cauſa proxima, e. gr. omnis vomitus ſeu idiopathici, ex cruditatibus, vermibus &c. ſeu ſympathici, ex calculo renum, felleo, impraegnatione, vulneribus capitis &c. eadem eſt proxima cauſa, ſed plures antecedentes: & toties vnius morbi, quod non ſatis notandum, differt curatio, quoties cauſa antecedens. Cauſæ vero antecedentes ſunt diſpoſitiones morboſæ ad hunc vel illum morbum recipiendum, atque vtplurimum vel hæreditaria vitia, vel ex erroribus circa 6. res non naturales commiſſis enata. Sed eamus in ipſam rem.

§. 4.

Primæ viæ dicuntur, in quibus aut immediate prima coctio, i. e. chylopoieſis, aut mediate aliquid pro hoc negotio abſoluendo contingit. Sunt adeo univerſim viſcera, quæ alias audiunt chylopœa. Ad primam claſſem pertinent ipſe œſophagus, quem alimenta ore aſſumpta primo perlabuntur, ventriculus, totus fere canalis inteſtinorum cum vaſis lacteis, horum ciſterna, vsque ad ductum thoracicum, ex quo chylus in venam ſubclauiam ſiniſtram ad ſanguinem tranſit. Ad alteram referuntur: hepar cum annexa cyſtide fellea, pancreas, & quatenus ſan-

* Ita v. gr. quid noſtra refert, vtrum delirii cauſſa proxima inordinatus ſpirituum animalium motus, an dyscraſia fluidi neruei &c? Sed maximi ſane in praxi momenti & vſus, noſſe, deliria pleraque ex viſceribus chylopoieticis conſenſualia eſſe. Scil. has morborum cauſas veras & vtiles exiſtimamus, quæ proxime nobis indigitant indicationem curatoriam: reliquas merito non curamus.

ſanguinem ſuum hepati tradunt ſpecifice ita coctum, vt ſecretioni bilis inſeruiat, lien, meſenterium cum vniuerſo tractu vaſorum ſuorum, & ſupernatans omentum. *b*) Vtriusque generis viſcera generatim quidem ad negotium chylificationis neceſſaria ſunt: eminet tamen inter omnia potiſſimum hepar, in quo ſecretio bilis, liquidi omnium nobiliſſimi, vt infra probabimus, a quo reliquorum omnium iuſta temperies & craſis dependet, in omnibus fere morbis primum vitiati & vltimo correcti, adminiſtratur. Ex hoc igitur fonte tot funeſta in reliquo corpore ſymptomata, myriades morborum, hinc illæ lachrymæ, hæc porta malorum. Demonſtrabimus hanc veritatem potioribus argumentis, omnia enim afferre ſuperfluum eſſet.

§. 5.

Eſt igitur hæc prima coctio reliquarum baſis, vel veterum teſtimonio ex trito illo canone, vti prima coctio, ita & ſecunda: vti ſecunda, ita tertia. E. vti prima, ita & tertia. Dein altero illo: vitium primæ coctionis non corrigitur in ſecunda, neque ſecundæ in tertia. Proinde nec primæ in tertia. Sunt hæ primæ viæ prima quaſi culina, vti vernacula noſtra exprimit, quarum plures dantur in corpore humano. Scilicet præparantur ex chylo ſtupendo naturæ artificio omnes reliqui humores in diuerſis officinis, quæ diuerſas quaſi conſtituunt culinas, ab hac primaria omnino dependentes, vti populus a rege. Quodſi fundamentum ædi-

b) Referendum igitur huc totum iſtud decantatum ſyſtema venæ portarum, ipſaque vaſa hæmorrhoidalia ob intimam communicationem, quam cum reliquis meſaraicis habent, & quatenus ſanguis ex illis non funditur ob plenitudinem iis ſolis propriam & partialem, ſed toti ſyſtemati communem, etſi cæteroquin chylificationem in craſſis etiamnum inteſtinis peragi affirmare non liceat. Quin & huc pertinent omnes glandulæ ſaliuales, ipſaque organa maſticationis: quatenus harum partium proba conſtitutio & functio non parum momenti ad ipſam concoctionem affert. Inde veriſſime HIPPOCRATES: vti fauces valent, ita & reliquum corpus. Reueraque in omnibus morbis tam chronicis, quam acutis os internum diuerſimode affectum inuenimus, ſi vel ſolam linguam in febribus quibuscunque allegemus; ſemperque coniicere licet, vti ſaliua ſe habeat, ita & reliquos humores glandularum inteſtinalium ſeſe habituros eſſe.

ædificio alicui ſubiectum male ſe habet, totum ædificium aut corruat, aut vacillet ſaltem, neceſſe eſt.

§. 6.

Etſi adeoque memorati modo canones ſimpliciter inuerti non poſſint, recte tamen vtplurimum ex diuerſis humorum ſecretorum vitiis, ſanguinis, vrinæ, ſudoris, ſaliuæ, muci narium &c. ad ipſum ſperma, quintam eſſentiam liquorum corporis humani, atque remotiſſimum apparenter negotium generationis vsque, ad ſpecifica primæ coctionis vitia concludimus, præſertim in horum affectibus longioribus, rebellibus, & cum diuturniori defluxione coniunctis, vel depoſitione alicubi materiali qualicunque, in dies augeſcente, ad ſarcomata vsque & polypos, ſcirrhos, tumores cyſtiros &c. & quæ reliqua horum morborum genera ſunt cum materia coniunctorum, nec ſaltem neruoſorum: generatimque verum eſt, ſanguinis craſin & miſcelam nunquam inſigne detrimentum pati poſſe absque malo primario in primis viis exiſtente, & inde ad ſecundas deriuato: cui quippe iugi quo circumfertur circulo, colatoriisque per vrinas & ſudores, vt alia taceam, abunde proſpectum eſt, vt perpetim ſe deſpumare poſſit, niſi maſſa corrupta quotidie nouis cruditatum acceſſionibus & chyli ſpecifice vitiati, ſi vel notabile diætæ vitium non amplius committatur, ex primis viis locupletaretur. Eadem eſt ratio omnium a ſanguine ſecretorum humorum, vtpote qui æque per ſe non ita facile corrumpuntur, ſed labem contrahunt a ſanguine: hic vero a cruditatibus ex prima officina translatis: vt adeoque nulla coryza chronica, nulla tuſſis diuturna cum liberali catarrho pectoris coniuncta, nulla ſaliuatio copioſior, vel depoſitio muci amari, tenacis, acris, vel alium quemcunque ſaporem exhibentis, in os, qualis per noctem vtplurimum hypochondriacis & hyſtericis contingit, nulli copioſi ſudores nocturni, vel vrinarum largior excretio, quæ ideo ex hypochondriis laborantibus inprimis familiaria ſunt, nulla ſcabies, aliique tot morbi cutanei non ab externa cauſa orti, ſcorbutus &c. imo nulla longa gonorrhæa, vel fluor albus exſiſtere poſſit, niſi colluuiei primarum viarum debita, vel primario, vel certe acceſſionibus ex his aucta. Notiſſimum eſt, quantum tribuatur ſanguini, quoties non morborum accuſetur genitrix & fœ-

cunda mater? recte quidem, sed primario a primis viis deducendorum. Pertinentque huc omnes istæ & multiplices cacochymiæ non solum sanguinis, sed & reliquorum humorum, atque in genere omnes morbi, ex primis viis tralatitii.

§. 7.

Sunt autem illa (§. 4.) nominata viscera innumeris periculis exposita. Primam statim patiuntur iniuriam ab ingestis, ex erroribus diætæ quibuscunque, toties commissis, toties repetitis. Peccare hæc possunt vel qualitate, vel quantitate, vel modo, vel tempore ingerendi. Oriuntur inde variæ cruditates, quas communiter dispescunt in acidas, viscidas & biliosas. Inter errores circa 6. res non naturales, excessus diætæ, & qui circa mentis pathemata fiunt, sunt frequentissimi. Vtrique chylopoiesi laudabili infensissimi. Intemperantia gulæ, quod, si vel rigorosi sanitatis custodes esse nolumus, asserere licet, nostro seculo tanta est, quanta potest esse maxima. Innumera ciborum, ipsorumque potulentorum sunt genera, varietates. Miræ inuentiones in gratiam exaltandi saporis ingestorum & acuendi, qui blandiatur palato in perniciem œconomiæ totius, impetus paradoxi appetitus excitandi. Plerique homines vel nimium comedunt, vel nimium bibunt. Quodsi ergo corpus humanum machina composita, in qua omnia arctissime sunt connexa, & artificiosissime disposita, mirifice conspirant, ita vt læsio vnius partis totam fere compagem in consensum trahat, qualis quidem est: omnino effectus huius consensus tantus hic esse debet, quantus nullibi in corpore humano, & viscera hæc toties, & fere quotidie inde a primis incunabulis vsque ad sepulchrum violenter affecta inexhaustum morborum fontem subministrant, qui non solum in primis viis subsistunt, sed & materiam suam vlterius transferunt, sanguinem vitiant, & reliquos inde secretos humores, sexcentaque hoc modo generant pathemata. *

§. 8.

*) Vid. maxime FR. HOFFMANNI Med. Syst. T. I. capite De Moderatione in victu optima sanitatis conseruatrice. p. m. 371. & T. II. De morborum origine ex copia & vitio ingestorum, aliisque pluribus capitibus.

§. 8.

Mirum quantum conſenſui huic (§.7.) ſubuenit ſtructura ventriculi, & reliquorum inteſtinorum tota membranacea, pleniſſima vaſis, neruoſiſſima, ſenſibiliſſima. Quin etiam inter partes irritabiles poſt cor hæ binæ principaliores ſunt. Concurrunt hic famoſa iſta bina paria neruorum ſympathicorum, magnum ſcilicet intercoſtale, & medium, par vagum. Non eſt, vt, quod ex anatomicis cognitum ſupponimus, plenam eorum delineationem hic demus: ſufficiat notaſſe, hæc duo paria neruorum eſſe principalia totius corporis humani, quæ omnia thoracis, abdominis, imique peluis contenta ramificationibus ſuis innumeris perreptant, ſenſumque & motum illis conciliant, quæque mirabiles hic anaſtomoſes inter ſe inuicem ſubeunt, & notiſſimos iſtos formant plexus neruorum pulmonales, cardiacos, ſtomachicos, hepaticos, meſaraicos &c. & qui reliqui ſunt reliquorum viſcerum: quæ ſi addas par quintum iſtud inſigne, ſeu trigeminum, originem ex parte præbens intercoſtali ipſi, & tertium ſympathicorum, ſeu minimum, ſcil. portionem duram nerui acuſtici, cum quinto itidem communicans, cum omnibus reliquis, ipſarumque extremitatum neruis modo immediatum, modo mediatum ineunt commercium, omniaque adeo viſcera tam actionum vitalium, quam naturalium, & generationis inſtrumenta, organa ſenſuum, & vniuerſim omnes partes corporis humani afficere poſſunt, & hanc ob cauſam ſympathica dicta fuerunt. Inde proprie conſenſus primarum viarum cum toto reliquo corpore: inde ſtupenda earum vis, & tot ſubitanei vel retrorſum e fonte hoc effectus, atque ſymptomata ſpasmodica: vno verbo tot morbi ex vitiis primarum viarum conſenſuales. Inde eſt, quod omnes morbi ſymptomata aliqua primarum viarum coniuncta habeant, præcordiorum maxime, varias horum viſcerum affectiones teſtantia. Inde patet ratio, quare, vti HOFFMANNVS refert, in omnibus fere morbis actio ventriculi, quæ reuera eſt ſyſtematica, videlicet appetentia, digeſtio, chylificatio vacillet, ac attenta obſervatio medico-practica doceat, quod ventriculo male habente, vel grauius læſo, a quacunque etiam cauſa id fiat, protinus vniuerſum neruoſarum partium ſyſtema inde offendatur; quo procul dubio permotus fuit acutiſſimus ille HEL-

MONTIVS, vt animæ ſenſitiuæ ſedem in ventriculo collocaret. Quanti momenti hæc ſint, & quot non ſpasmodica in reliquo corpore per conſenſum pathemata producant, iis perſuaſiſſimum erit, qui vel tarditate alui, vel obſtructione laborare ſolent, vel qui perpendunt, quam horrenda ſymptomata vel vermes, vel flatus incarcerati in inteſtinis ſtabulantes, aut ventriculo, ſæpe omnem fidem ſuperantia, producere poſſint.

§. 9.

Delicta in plerisque 6. rebus non naturalibus commiſſa peculiarem vim in hæc viſcera exſerunt, & varia mox inibi gignunt ſymptomata. De diætæ erroribus iam diximus, & facile fuit coniicere, quod viſcera chylopœa primario afficiant. Nunc de animi pathematibus. Mirum ſane, hæc tam propinquam cognationem cum negotio chylificationis, tantumque imperium in neruos huius officinæ habere, præſertim quæ ſub ampliſſima iſta tædii qualiscunque claſſe comprehenduntur, quantum quidem ex plurimis morbis inde natis & ſymptomatibus, quæ in primis viis mox ſub ipſo inſultu progignunt, concludere licet. Nimis longum foret, omnia hæc ſigillatim recenſere, cum notiſſima ſint, ſi vel vnicum iſtud phænomenon adducamus, omnes affectus, ipſosque lætos excedentes, appetitum & digeſtionem proſternere, & ſine dubio ſupponere nobis liceat, quemlibet propria & frequenti experientia hac de re conuictum fuiſſe, cum nemo non ſingularem aliquem dominantem affectum, familiarem & domeſticum quaſi habeat. vid. ill. FR. HOFFMANNI Med. rat. Syſt. T. I. L. II. cap. I. de animæ conditione motus vitales vel conſeruante, vel deſtruente. Omnino vero vix dici poteſt, quam funeſta mala vel nimius mœror, triſtitia, curæ &c. vel maxime omnium ira ſuppreſſa, quatenus in hac duo affectus concurrunt, primo ira bilem præprimis affligens, dein tædium inſigne ex neceſſaria ſuppreſſione iræ, e directo ſibi contrarii, viſceribus chylopœis inferant. In genere nunquam ſatis mirandum eſt commercium, & omnem captum humanum excedens operationum & facultatum animæ cum primis viis, ad deliria vsque chronica acutaque, & plenariam mentis perturbationem. Tyrannicum primarum viarum in animam imperium, fere dixerim, excelſa hominis maieſtate indignum!

Adeo

Adeo indignis carceribus cohibetur anima mundi repræſentatiua, maximum hominis ornamentum, quo alias omnia ſibi ſubicit, & totum terraqueum noſtrum gubernat globum!

§. 10.

Inter 6. res non naturales refertur porro aëris varia temperies, & inde conſequentes anni & tempeſtatum viciſſitudines. Atque vti hæc perpetuo corpus humanum afficiunt, & frequentiſſime itidem affligunt, ita ſingularem etiam vim in viſcera chylopoieſi deſtinata exſerunt, quod infra patebit, ubi de tempeſtatibus anni atrabilariis ſermo erit. Optime hic addere poſſemus contagia, quæ eodem modo ſpecifica vi in primas vias agunt, iisque labem affricant. Probant abunde iecinoroſi, qui, ut AETIVS monet, morſu canis rabidi omnium facillime afficiuntur, ita etiam febribus malignis contagioſis, ipſaque peſte, prouti etiam hunc, aliorumque venenatorum animalium morſum icterum facile ſequi conſtat: contagium dyſentericum, & omnes reliqui morbi contagioſi probant idem, vti infra ex eorundem ſymptomatibus perſpiciemus.

§. 11.

Facile quilibet perſpiciet, quanti momenti hoc argumentum (§. 9. 10.) ſit. Scilicet cum ex his 6. rebus non naturalibus communiter morborum origines deducamus, & hæ primario in viſcera chylopoietica maxime agant, atque ibi varias affectiones progenerent, neceſſario etiam ex his indicationes curatorias petimus, quas apte nobis ſubminiſtrant, & morborum plerorumque geneſin luculenter ex hoc fonte deriuamus.

§. 12.

Ex his præmiſſis facile iam ſequitur principalis iſta & maximi momenti theſis: ſcilicet in omnibus fere morbis hepar maxime affici, * & bilem primario peccare & ſpecifice. Satis probat hoc vel ſola excrementorum conditio, & modus excernendi, in omnibus affectibus vtcunque vitiata, in variis varie. Abunde enim conſtat, horum colorem & odorem

a

* Cuius peculiaria prorſus attributa v. maxime in BOERHAV. Inſt. med. 1740. §. 350. deſcripta.

a bile dependere. Sed eius vſus longe vlterius ſe extendit. Eſt inter liquida primarum viarum chylopoieſi perficiendæ deſtinata haud dubie nobiliſſimum. Duplex datur, altera hepatica, temperatior, ſaporis non vsque adeo amari, neque flauedinis adeo ſaturatæ, copioſior multo, continuo in inteſtina deſtillans, altera cyſtica, amariſſima & reliquis qualitatibus multo magis excedens. Utraque * accedit chymo in duodeno, ventriculo quaſi ſuccenturiato, multo ampliore reliquis tenuibus, atque vtut paruo, tribus tamen flexuris gaudente, vt facilius moram hic necteret chymus, & a bile plenarie ſubigeretur. Secundam principalem, priori potiorem, mutationem hic patiuntur alimenta, chymusque rudis, indigeſtusque, alienis nondum ſatis commixtis & inter ſe ſolutis abundans, recoquitur, denuo digeritur, cruda reſoluuntur, atteruntur, ſubiguntur, aliena miſcentur, vno verbo chymus in maſſam ſimilarem, ſecretioni chyli quam proxime aptam reducitur. Bilis enim tam a ſpiritu vini, quam aqua ſoluitur, indolis eſt ſaponaceæ & lixiuæ, hinc aquoſa cum oleoſis commiſcet: vniuerſale adeo menſtruum cuiuscunque generis ingeſtorum conſtituit, quo diuerſa heterogenea, vti reſinoſa, ſalina, ſpirituoſa, acida, & quæcunque aliæ acrimoniæ a temperie humorum noſtrorum blanda, vtplurimum aquoſa, gelatinoſa, diſcedentes, adeoque nunquam in ſuccum & ſanguinem conuertendæ, ſoluuntur, domantur, franguntur. Virtutem habet incidendi, reſoluendi, abſtergendi. Acidum chymi eneruat, flatus diſſipat, & præſentiſſimum eſt anthelminthicum, ſine cuius vitio vermes enaſci impoſſibile eſt, hoc vero præſente facillimum. Balſamus eſt naturalis, amicior corpori humano, quam aloë & reliqua, quibus cadauera alias a putredine

* Copiam vero bilis quotidie in duodenum deſcendentis non minimam eſſe, ſuadet amplitudo ſecretorii organi, ductus excretorii, toties quam ſaliuales, maioris: morbi, in quibus ſolius cyſticæ bilis vnciæ quatuor quotidie per vlcus lateris effluxerunt. v. Prim. lin. Phyſiol. ill. HALLERI p. m. 451. BORELLVS quauis hora aliquot vncias defluere volebat. Ceterum de omni hoc argumento v. FR. HOFFMANNI binæ diſſertationes: de bile medicina vniuerſali & veneno corporis humani & de duodeno multorum morborum cauſa.

dine vindicantur. Ob amaritiem insigniter roborat, reliquasque huius generis medicamentorum præclaras obtinet virtutes. Leni suo stimulo motum peristalticum, cui mutato tantum non omnia primæ officinæ vitia alias tribuuntur, adiuuat, accelerat, conseruat, intestinaque ad deiectiones irritat, sine quo excrementa in corpore nostro relinquerentur, & grauissima ferrent incommoda. Bilis itaque primarium momentum ad chylificationem affert, a qua reliqua corporis humani negotia, sanguificationis, & reliquarum ex sanguine secretionum dependent: cui adeo omnes cæteri humores iustam suam constitutionem & crasin debent. Hinc est, quod diximus, primo vitiari & vltimo corrigi: quam primum enim fæces naturales euadunt, (neque naturales euadere possunt, nisi chylus etiam naturalis sit, adeoque & reliqui humores) æger restituitur, ea quidem proportione, qua hæc ad naturalem conditionem semper magis accedunt. *

§. 13.

* Recte igitur in bile fomitem plerorumque morborum quærimus Idque vel in vulgus notum, bilem hac de causa in omnibus fere affectibus accusans, & nescio cuius venenatæ indolis arguens, distincteque sæpius ad sensationem suam prouocans, nimiam, vel deprauatam bilem se habere, quam ideo eliminandam vult: Communisque est agyrtarum tantum non in omnibus morborum historiis, iis relatis, vel ipsis cauillantibus vera, responsio, quam de causa consulti in promptu habent; deprauatam bilem ægrum coquere. Neque mirum, tot tantosque morbos ex vitiata quomodocunque bile & læsis inde functionibus viscerum officinæ chyli enasci, cum verissimo HIPPOCRATIS effato, per quæ viuimus & sani sumus, per eadem etiam ægrotemus. Neque euphoria vomitoriorum tanta esse posset, quanta quidem stupendis exemplis obseruatur, nisi hoc modo radix morbi, & prima quasi stamina vnico impetu euellerentur, vel saltem naturæ miris modis succurreretur, ita vt tempestiue data in variolis hæsitantem ptyalismum resuscitent, ipsas variolas hæsitantes felicissime expellant: in febribus intermittentibus typum irregularem efficiant regularem & dilucida interualla: in febribus acutis non necessario exanthematicis ipsa exanthemata avertant. Ita in omnibus malignis si non vomitus, saltem alui colluuies multis modis corrupta & fœtidissima reddi solet. Hæc si præmisso vomitorio per rhabarbarina aliquot diebus exhibita promouetur, æger semper melius habet, minusque delirat: retenta eadem colluuie grauiora omnia sunt, & petechiæ sæpe succedunt; & quæ reliqua huius rei admiratione dignissima exempla sunt infra occursura. Huc pertinet etiam per-

§. 13.

Concurrunt quoque ad generationem bilis omnia viſcera chylopœa. In hepate, primario imi ventris viſcere, & maximo corporis humani ſecernitur, & partim continuo in inteſtina depluit, partim in cyſtide ſua propria aſſeruatur ad vſum, non exiens, niſi a ventriculo cibis pleno, ſapienti naturæ inſtituto, expresſa, vt chymum perficeret, reliqua vt lien, omentum, ventriculus, inteſtina, meſenterium, vnumquodque ſuam ſymbolam ad eius geneſin confert: vena enim portarum ſanguinem ex his viſceribus omnibus ad hepar deducit, ex quo bilis præparatur. Neque vllum reperitur animal, quod tam præſtanti fluido careat.

§. 14.

HELMONTIVS olim & SYLVIVS plura iam in hanc ſententiam protulerunt. Poſterior quidem ex triumuiratu ſuo humorum, bilis, pituitæ, & ſucci pancreatici, eorumque iuſta temperie, mixtione, clementique efferueſcentia totius œconomiæ non ſolum vitalis, ſed & naturalis rationem deduxit: etſi in eo reprehendendus ſit, quod in gratiam hypotheſeos ſuæ pancreaticum laticem acidum, & bilem pure alcalinam, ſponte quidem aſſumpſerit. Sunt enim, vt reliqui noſtri ſucci, indolis admodum temperatæ, mediæ, vt terminum huc transferam a ſalium iſta denominatione: neque in bile, qualis in corpore noſtro reuera eſt, & ſana, vel purum alcali deprehenditur, vel ſulphureum principium adeo euolutum, vti quidem igne chymico demonſtratur,

quam notabilis iſte aph. 15. HIPPOCRATIS ſect. VI. a diuturno alui profluuio detento vomitus ſponte ſuperueniens alui profluuium ſoluit. Ita maximi ſæpe morbi vnico vomitorio, vel in herba ſtatim ſuffocati ſunt, vel per omnem decurſum mire leuati. Sed bilis vſum & vim præclare etiam cognoſcere poſſumus ex ictero, vel qualicunque alia cauſa illius tranſitum in inteſtina denegante. Adeſt in illo aluus adſtricta cum fæcibus albis, torminibus & flatulentiis, anxietas præcordiorum, nauſeæ, vomitus, appetitus proſtratus, cardialgia: quin & alias ſub pertinaci nimis ductus cholidochi obſtructione, grauiſſimæ ventriculi & inteſtinorum conſtrictiones, imo conuulſiones obſeruatæ ſunt. Inde etiam tot morbi, quibus aliquid icterici accedit: inde idem icterus tot morborum vel ſolutio, vel viciſſim triſtis ſæpe cauſa.

ſtratur, quamuis non negarim, propius ad alcalinorum naturam accedere, quam acidorum.

§. 15.

Ipſe diuus HIPPOCRATES, vti fuit obſeruator ſolertiſſimus & ſagaciſſimus, ita non potuit non ſtupendam hanc bilis in corpus humanum vim detegere, originem ideo ſanitatis, morbi, vitæ & mortis Lib. d. Affect. & L. I. de Morbis *c*) ex eadem & pituita deducens, diuerſaque reliquorum ſecretorum vitia, quo magis vel ad colorem flauum, vel nigrum bilis, vel ſaporem amarum accedebant, vel qualemcunque bili analogam qualitatem ſimulabant, ad eandem referens & diiudicans, vti vrinæ, muci aurium, linguæ, oris, aſperæ arteriæ, ſaliuæ, ſputi &c. quamuis alibi L. de nat. hom. *d*) ſanguinem addat, quas binas ſententias vero, vtut primo intuitu contradictorias facile reconciliare licet, ſi ſupra §. 6. notata perpendamus.

§. 16.

Binas igitur has bilis ſpecies tam in ſtatu naturali, quam præternaturali aſſumebat HIPPOCRATES: atram vero infenſiſſimam iudicabat. Ita v. g. aph. IV. 22. *e*) aſſerit: morbis quibusuis incipientibus, ſi bilis atra, vel ſurſum vel deorſum prodierit, lethale; & circa finem morbi: aph. IV. 23. Quibuscunque ex morbis acutis, aut ex diuturnis, aut ex vulneribus, aut aliter quocunque modo extenuatis, bilis atra, vel qualis ſanguis niger, prodierit, poſtridie lethale: quid quod aph. VII. 68. omnia cruda, quæ deorſum ſecedant, ab atra bile eſſe aſſeuerat, ita quidem, vt ſi plura, maior ſit morbus, ſi pauciora, minor. Addamus

c) Vid. etiam LE CLERC hiſt. de la Medecine p. m. 143. 144. & ſqq.

d) Ita vero l. c. CHARTER. Tom. III. p. 110. habet: Corpus hominis habet in ſe ſanguinem & pituitam & bilem duplicem, flauam nempe & nigram: & illa ipſa conſtituunt naturam corporis, & ob hæc dolet, & ſanum eſt Sanum quidem eſt maxime, quum hæc moderatum inter ſe tum facultate, tum copia temperamentum habuerint, & maxime, ſi permiſta fuerint: dolet, autem, vbi horum quidpiam vel parcius, vel copioſius fuerit, aut in corpore ſeparatum, nec reliquis contemperatum &c.

e) Notandum, quoties non aliam editionem expreſſe nominamus, opuſcula aphoriſtica ſemeiotico-therapeutica VIII. HIPPOCRATIS, Baſileæ 1758. à ZWINGERO edita, ſubintelligenda eſſe.

damus vnicum adhuc inter multa reliqua L. I. nat. hom. CHARTER. Tom. III. p. 147. Atra bilis omnium, qui corpori insunt, humorum glutinosissima est, & sedes diuturnissimas facit.

§. 17.

GALENVS dein, optimus HIPPOCRATIS interpres, quatuor differentias condidit atræ bilis L. de humor. CHARTER. 151. Una est ex sanguinis fæce, (quæ ei proprie succus vel humor melancholicus audiebat in toto sanguine dispersa) altera ex bilis flauæ exassatione (proprie in cystide fellea residens, & ex hac in ventriculum & intestina deferenda, nonnunquam etiam in viscera chylopoieseos impacta & generationis organa. v. HIPP. de de mulier. morb. L. II. cap. LXVIII. CHARTER. T. VII. p. 831. quum mulier caput, sinciput & ceruicem dolet, & vertigo ob oculos versatur, & mœsta est, & vrinæ nigræ, & similia ex vtero feruntur, & anxietas & animi mœror detinet, bilis atra in vteris inest) tertia bituminosa, quod bituminis instar splendeat, (acris, erodens omnia, omniumque pessima, præsertim si turgeat, quam tum nominabat etiam exactum atræ bilis humorem) quarta autem sanguinea, αἱματώδης, quæ proprie bilis non est. Sed mittimus, quæ veteres de hac materia philosophati sunt, ob defectum cultioris Anatomiæ & Physiologiæ nonnunquam erronea. *

§. 18.

Sed dantur adhuc multæ aliæ bilis species, quas veteres notarunt, non minus degeneres & periculosæ: v. g. viridis, porracea, æruginosa, lurida, liuida, rutila &c. in diuersis affectibus occurrentes. Ex hac ratione iidem etiam pro diuersis indicationibus adhibebant medicamenta cholagoga, melanagoga, & denique panchymagoga, quatenus sc. repetita alui euacuatione corpus humanum omnibus denique humoribus noxiis exhauriri possit.

§. 19.

Notandum insuper, HIPPOCRATEM omnes hos, qui vtcunque

* Qui plura nosse vult, adeat GALENVM de atra bile. SVVITEN. Comment. in BOERHAV. aph. Cap. de Melanch. & LE CLERC. hist. de la Med. p. m. 680.

cunque ex his viſceribus laboraſſent, nominare atrabilarios ſeu melancholicos, hepaticos, ſplenicos, cholericos ſiue bilioſos &c. quos noſtris temporibus generatim duabus iſtis amplis claſſibus hypochondriacorum & hæmorrhoidariorum comprehendimus, præclarasque & innumeras in omnibus fere paginis & affectibus de illis prognoſes dediſſe. Atque vt aliqua tantum adducamus exempla Hippocratica, aph. VII. 40. mirum hoc effatum habet: ſi lingua ex improuiſo impotens fiat, aut aliqua corporis pars ſiderata, melancholicum, i. e. atrabilarium, hoc ipſum fit: atque aliud non minus admirandum, ſtupendam primarum viarum vim luculenter demonſtrans, morbosque, quos omni commercio cum illis liberos crederes, ex iisdem deducens; aph. VI. 56. quando ait: Morbis melancholicis adhæc periculoſi ſunt humorum decubitus, aut corporis ſiderationem, aut conuulſionem, aut inſaniam, aut cæcitatem ſignificant. *

§. 20.

Ipſæ anni & tempeſtatum mutationes neſcio quam arctam cognationem cum negotio chylificationis, & vim peculiarem prorſus in eandem habent, aërque, pulmones alias primario afficiens, decantata hæc viſcera certis quibusdam temporibus præprimis affligere conſueuit, aliis non. Inde veterum ſic dictæ tempeſtates atrabilariæ, circa & poſt ſolſtitia, inprimis hyberna ingruentes, quoniam ex hepate vel bile laborantibus præcipue infeſta eſſe deprehenderunt. Et obſeruare licet, omnia fere metaſtatica ex primis viis vitia his temporibus vel redire vel augeri. Idem *f*) tempeſtas pluuioſa & auſtralis facit. vid. Diſſ. egregia de Metaſtaſi Argent. habita 1759. inde ſcholæ Stahlianæ recte toties

* Elegantiſſimum eſt caput Præd. II. de lienibus magnis, i. e. obſtructis, ſcirrhoſis, vel qualicunque modo in tumorem ſublatis, vnde gingiuarum vitia, graueolentiam oris, hæmorrhagias narium, vlcera crurum ſordida, tumores palpebrarum inferiorum, imo hydropem ipſum oriri aſſerit. Sunt adhuc ſexcenta alia in omnibus fere paginis HIPPOCRATIS oracula, pertinentque huc omnia iſta capita ſpecialia de quibuscunque imo ventre laborantibus cuiuscunque tituli, & quotquot ſunt viſcerum chylopoieticorum affectibus.

f) HIPPOCR. aph. III. 5. 11. — 13. & 15. — 17.

toties ſuſpecta æquinoctia, maxime autumnale: nam aph. III. 9. in autumno morbi acutiſſimi & perniciofiſſimi omnino, ver g) autem ſaluberrimum & minime exitiale. Atra enim bilis autumno & plurima & fortiſſima eſt, de nat. hum. XIV. 1. 5. atque aph. III. 10. autumnus tabidis malus, & aph. VI. 55. podagrici morbi vere & autumno mouentur vtplurimum. aph. III. 22. autumno & febres quartanæ, h) & erroneæ, & lienes & hydropes, & tabes & vrinæ ſtillicidia, & lienteriæ, & dyſenteriæ, & coxæ dolores, & anginæ, & aſthmata, & voluuli, & epilepſiæ, & inſaniæ, & melancholiæ, & multi ex æſtiuis morbis. Vere quidem ibid. aph. 20. inſaniæ & melancholiæ & epilepſiæ, & ſanguinis fluxiones, & anginæ, & grauedines & raucedines; & tusſes, & lepræ, & impetigines, & vitiligines, & puſtulæ vlceroſæ plurimæ, & tubercula, & articulorum dolores. Ut adeoque circa hæc anni tempora, atrabilaria dicta, & plurimi morbi moueantur & exaſperentur, atque omnes labe horum viſcerum qualicunque affecti peius habeant.

§. 21.

Et quid aliud ſibi volunt denominationes iſtæ morborum: melancholiæ hyſtericæ, hypochondriacæ, atrabilariæ, tuſſis hypochondriacæ, phthiſis hæmorrhoidalis, vrinæ bilioſæ, ſplenicæ, cephalalgiæ hyſtericæ, hypochondriacæ, apoplexiæ atrabilariæ, anginæ hyſtericæ, hypochondriacæ, aſthmatis ſtomachici, hypochondriaci, hyſterici, nephritidis hyſtericæ &c.? Reſponderes forſan, hæc nonniſi ſpecies quasdam quorundam morborum denotare, qui originem ſuam his natalibus debeant, quibus totidem, & plures longe aliis cauſis debiti opponi poſſint: ſed neque aliud euincere voluimus, quam ipſum Auctorum aſſenſum in parte

g) Scilicet iam conſtans, vbi, vt ibidem dicit venerandus ſenex, ſi tempeſtiue tempeſtiua reddantur, conſtantes & iudicatu faciles fiunt morbi, in inconſtantibus autem inconſtantes & difficiles iudicatu. Ineunte enim vere inter tot viciſſitudines tempeſtatis plurimos morbos graſſari, præſertim circa æquinoctium, communis omnium obſeruatio docet, & maxime febres malignas.

h) Quartanæ æſtiuæ plerumque fiunt breues, autumnales vero longæ, & maxime quæ prope hyemem incidunt. aph. II. 25.

parte ſaltem aliqua huius thematis, vbi in phænomena morbi attentiores euidenter ex iisdem in hanc viam adacti ſunt. Id enim proprie nobis incumbit demonſtrare, quod hactenus diſputauimus, multo latiorem & vniuerſaliorem eſſe huius theorematis extenſionem, quam ad iſtas ſaltem morborum ſpecies: etſi viciſſim negandum non ſit, alios aliis luculentius originem ſuam ex imi ventris affectibus ducere.

§. 22.

Si ad Semioticam examinemus aſſertum noſtrum, neque hæc Medicinæ pars abundantibus, & minus firmis nos deſtituit argumenti noſtri ſtabiliendi rationibus. Uti enim HIPPOCRATES Coac. fine, aliisque locis alui recrementum purum ſecedens omnes febres acutas ſoluere veriſſime ait cum ſudore, idemque in omnibus morbis certum ſignum ſanitatis inſecuturæ eſt, (quod & idem generatim Prænot. 61. in iudicationem eunte morbo aſſeuerat,) atque vniuerſim plurima bona *i*) ſigna ex viſceribus chylificationis colligi debent, ita e contrario non ſolum pleraque mala, omnia fere maligna, ſed & lethalia, & ſubito lethalia ex iisdem rectiſſime petuntur.

§. 23.

Atque vt aliqua tantum adducamus ex ſignis bonis, quæ diuus ſenex notauit, etſi in ſtatu ſano vel mutata in melius conſtitutione plurima ſemper & potiora ex hoc capite coniuncta ſint, aph. II. 35. habet: in omnibus morbis, quæ partes ad vmbilicum & imum ventrem ſunt, craſſitudinem habere melius eſt, valde autem tenues eliquatas ipſas habere malum. Huc pertinet Prænot. 63. in omni morbo ventrem mollem eſſe & mediocriter extumeſcere conuenit. Cum contra Coac. 119. in præcipiti morbo capitis dolor, & præcordia reuulſa, niſi ſanguis ex naribus profluat, ad phrenitidem deueniant, & Coac. 51. in homine moderato ferox & audax reſponſio, & vox acuta malum portendunt, iis præcordia intro trahuntur & tendunt. Ita in genere aſſerit Coac. 279. præcordia ſine vllo doloris ſenſu æquabiliter mollia eſſe

i) Ad quæ pertinent etiam omnes & innumeræ criſes ex alui maxime profluuiis, vomitibus, dyſenteriis, hæmorrhoidibus, ictero &c.

eſſe oportere. Cum contra ibid. 279. 280. inflammatione tentata, aut inæqualiter affecta, aut dolore vexata, non contemnendæ ægritudinis notas præ ſe ferant.

§. 24.

Inter ſigna mala inferius plurima occurrent in morbis ſpecialibus: afferemus tamen nonnulla & hic. Ita HIPPOCRATES habet: aph. VII. 6. in morbo diuturno appetitus proſtratus & meracæ deiectiones malum, aph. IV. 65. in febribus circa ventrem æſtus vehemens, & oris ventriculi dolor, malum. Præd. I. 8. Relicti in præcordiis æſtus cum febre, in qua totius corporis habitus perfrigeratur, malo ſunt. ibid. 21. in bilioſis & ſinceris deiectionibus ſpumoſa efflorescentia malo eſt, iis præſertim quos antea lumborum dolor, vel deſipientia vexauit. ibid. 37. Surditas cum vrinis prærubris non ſubſidentibus & ſublimamentis mentis emotionem minatur. Quin etiam malo eſt ex morbo regio fatuitas aut ſtupiditas. His quidem vox deficere ſolet absque ſenſuum læſione. Quin & aluus nonnunquam affatim prorumpit. ibid. 41. vbi aluus intercepta eſt, & arcte concluſa, paruaque & nigra caprarum ſtercoribus ſimilia, nec niſi coacta emittit, hoc caſu ſanguis e naribus erumpens periculo eſt. ibid. 79. vomitiones exiguæ, bilioſæ malo ſunt, tum vero potiſſimum, ſi peruigilio conflictentur ægri. ibid. 81. in febribus ardentibus cum aliqua ſummi corporis perfrictione ac egeſtionibus, aquæ ſimilibus & crebris oculorum peruerſio & diſtortio malum ſignificat. ibid. 83. Ex lumborum dolore ad os ventriculi recurſationes cum febre, horrore, multorum tenuium & aquoſorum vomitu, delirio, vocis defectione, eæ in nigrorum vomitionem deſinunt. Coac. 316. poſt nigrorum vomitionem mori dicit. Quam horrenda hæc inde ſymptomata, deliria, vocis defectio, &c.! Ita etiam paulo poſt præcordiorum dolores in febribus cum loquendi impotentia, ſi ſudore non ſoluantur, malignos eſſe ait: Hosque lumborum dolores, moliminum hæmorrhoidalium, irritorum ſæpe, teſtes, HIPPOCRATES non vno loco damnat. v. g. Coac. 310. Præd. §. 69. Coac. 318. 323. 560. 607. imo lethales etiam dicit Coac. 108. 316. 317. & ſtupendæ obſeruationis exemplo ex iisdem prædicit 1) alui fluxum, Coac. 19. & 291. 2) ſeceſſum nigrum, Coac. 315. 3) con-

3) conuulſiones, ipſasque mentis emotiones. Præd. I. 106. ibid. 118. Coac. 313. 4) tympanitidem, Coac. 304. aph. IV. 11. 5) ićterum, Coac. 325. 6) funeſtam phrenitidem, Coac. 179. imo etiam 7) ſuppurationem alicubi locorum, Coac. 108. 8) phthiſin, vel vlcus vteri futurum olim aliquando. Coac. 324. *

§. 25.

Inprimis vero memorabiles ſunt quatuor iſtiusmodi aphorismi, quos operæ pretium erit hic enarrare. Agunt de effećtibus ab hæmorrhagiis nimiis, & viciſſim purgatione nimia, vel ileo, quem HIPPOCRATES vocat, ſtupendis, mirifice inter ſe conſpirantibus. 1.) aph. V. 3. a ſanguine multo effuſo conuulſio aut ſingultus ſuperueniens malum. Cur conuulſio & ſingultus pari paſſu ambulant? 2.) aph. VII. 9. a ſanguinis fluxu conuulſio aut delirium, malum. Cur conuulſio aut delirium? 3.) aph. V. 4. purgationi immodicæ conuulſio aut ſingultus ſuperueniens, malum. Anne perfećte paralellus cum primo? 4.) aph. VII. 10. Ab ileo aut vomitus, aut ſingultus, aut conuulſio, aut delirium, malum. Anne perfećte paralellus non ſolum cum ſecundo, ſed & cum omnibus reliquis? Anne ſtupenda hæc ſunt, ſtupendam horum viſcerum vim teſtantia? Anne omnia hæc ſymptomata veriſſime ex primis viis conſenſualia? **

§. 26.

* Talia adhuc in Hippocraticis innumera, v. gr. aph. IV. 47. 62. 66. V. 34. VI. 16. 44. 56. VII. 10. 22. 3. Præd. I. 3. 53. 60. 62. Prognoſt. 30. Sećt. VI. tota, de ſignis mirandis ex præcordiis agens, & Vta in fine. item X., quæ de vomitibus tractat, & potiſſima pars XII. item 151. 118. 102. Præd. I. 12. 10. 13. 17. 31. 36. 38. 78. 99. 106. 108. 125 - 127. 156. Præd. II. 142. 136. Sećt. XXX. & XXXI. Coac. 36. 64. 39. 44. 62. 51. 53. 55. 57. 67. 69. 76. 77. 81. 86. 88. 91 - 97. 102. 103. 106. 108 - 110. &c. ſexcentaque alia in ſequentibus, vt ſola capita de hypochondriis, de lumborum affećtibus, de hæmorrhagiis, quas vtplurimum ex vitiis viſcerum imi ventris oriundas eſſe infra oſtendemus, de hepaticis, dyſenteria, lienteria, vomitibus, & inſigne illud de alui deiećtionibus attingam, vti viciſſim Præd I. 50. generatim aſſerit, aliisque locis, alui recrementa, ſi in ſpumoſa & ſincera deſinant, mali incrementum ſignificare, & ibid. 93. ſpeciatim in ſopore affećtis ægris ſpumantibus prodeuntibus deiećtionibus febrem acutam ingraueſcere.

** Plura adhuc analoga his talia oracula addere poſſemus, quæ ſi cum illis, aliorumque morborum ſymptomatibus conferre vellemus, in

 cauſis

§. 26.

Hactenus de signis malis. Sed lethalia easdem caussas habent plurima, e. gr. aph. V. 14. a tabe detento alui profluuium superueniens lethale. aph. VIII. 17. Morituris signa (sc. antecedentibus proposita) fiunt manifesta, & ventres attolluntur atque inflantur; vtplurimum tumor hic ventris quasi tympaniticus prodromus est mortis. Progn. 83. Quodsi eodem vomitu omnes hi colores reiiciuntur, (i. e. porracei, liuidi, nigri) id exitiale est admodum. De atra bile lethi signo supra diximus. Coac. 330. a sanguinis eruptione nigrorum per aluum egestio, malo est, quin & prærubræ ac æruginosæ deiectiones damno sunt, quibus eiusmodi sanguinis eruptiones quarto die contingunt, (quas passim HIPPOCRATES damnat) tandem sopore & conuulsione conflictati moriuntur, prægressis nigris deiectionibus, & ventre in tumorem sublato. Sed sunt adhuc longe plurima, quæ referre nimis amplum esset. Ita sopor & delirium perpetuum cum dolore præcordiorum absolute lethale: fæces & vrinam clanculum elabi plerumque lethale, præsertim si expergefactus æger nullius a deiectione stimuli recordetur. Ita in febribus acutis præsertim malignis præcordia dolentia, ad contactum mollia, sed homine soporoso, lethalia, & absolute lethalia, si simul dura, introrsum ducta, tensa, æstuosaque fuerint, ægerque dolorem ex contactu, sopore interim non excitatus, facie saltem testetur, respiratione etiam ex pressione hypochondriorum quasi intercepta, & in tussim vel singultum abeunte: quod mortis genus pluribus aliis morbis quoque commune est. Ibidem singultus cum sopore lethalis.

§. 27.

Neque hoc sufficit: ipsæ etiam mortes subitaneæ plurimæ, instar perniciosorum istorum morborum, apoplexiæ, catarrhi suffocatiui, contingentes, ex hoc fonte oriuntur. Dabimus aliquot exempla. Coac. 286. Oris ventriculi dolor seniori crebro adueniens repentinam mortem denunciat. ibid. 317. Lumborum ac

caussis morborum eruendis insignem lucem præstare possent, & meditationibus vlterioribus amplissimam materiam offerre.

ac tenuioris inteſtini diuturni dolores, & circum præcordia labores, in ægris vna cum febre cibum faſtidientibus, eos dolor intenſus ad caput progreſſus, non ſine conuulſionis ſpecie celeriter interficit. idid. 72. Oris ventriculi dolor cum præcordiorum contenſione, atque etiam capitis dolor, malignum quidpiam & ſuſpirioſam affectionem denotat, in his certe attendendum, num derepente moriantur? atque eiusdem fere argumenti, Coac. 374. in angina laborantibus citra iudicationem præcordii dolor cum impotentia & torpore obueniens, latenter necat, etſi admodum moderate habere videantur, item Coac. 638. Ex diuturno ventris affectu vomentibus, bilioſis, cibum auerſantibus, copioſus ſudor obortus cum repentina virium impotentia lethalis. Ita etiam in febribus malignis quibusdam maculoſis, petechialibus, eryſipelaceis, mors cum hypochondriis reductis & duris plerumque ſubitanea & inſtar lethalis & præcipitis animi deliquii obſervatur, poſtquam vno alteroque die ante mortem plane reſipiſcentes ad ſe redierint. Ita aſthma hæmorrhoidale ſæpe mortem ſubitaneam per modum teneſmi in cloaca infert; pertinentque huc in genere exempla in cloaca exſtinctorum, vnde HIPPOCRATES Coac. 71. ſedis dolor mortem affert. *

§. 28.

Uti vero hæc viſcera male affecta innumeros morbos creant, & ſymptomata toti corpori conſenſualia, ita viciſſim, ſi materia peccans tempeſtiue ex illis exturbatur, multorum morborum ſolutio & leuamen exinde fieri poteſt, hinc veriſſime ait HIPPOCRATES Coac. 466. Lienoſis difficultas inteſtinorum non longa vtilis: atque Præd. II. 121. antecedentes qualescunque morbos alui hoc fluxu cruento ſolui aſſerit, inueteratos quidem ſpatio temporis maiore, recentes etiam paucis diebus. Ita porro dyſenteria raucedinem chronicam & ſenſuum vitia, maniam, vti vene-

* Tale mortis genus referunt de puero regio Electoris Brandenburgici penultimi, qui cum dapes menſæ regiæ appoſitas reportaſſet, earum quid clam guſtauerat, atque in ipſo actu a ſuperiore quodam de neſcio qua re interrogatus, easdem feruentes adhuc deglutire, vt reſpondere poſſet, metu adigebatur, vnde ſubito mortuus concidit.

venerandus Senex etiam notauit aph. VII. 5. melancholiam, conuulſiones & alia ſpaſtica egregie leuat & ſoluit, dummodo neque acuta nimis, neque chronica ſit: k) addamus hydropem, icterum, menſes obſtructos, phthiſin ipſam, arthritidem. Eodem modo diarrhœa bilioſa ſoluit colicas, paralyſes, ſurditates. Leuamen & inde accipiunt mania, ſenſuum vitia, & alii ſpasmodici affectus. De mirabili commercio ſurditatum, & alui bilioſæ, vniusque in alterum metaſtaſi prorſus ſtupenda exſtat elegantiſſimus iſte HIPPOCRATIS locus aph. IV. 28. Quibus bilioſæ ſunt egeſtiones, ſurditate ſuperueniente ceſſant, & vice verſa. * Plura alia dantur exempla criſeos per hasce vias in hippocraticis paſſim notata.

§. 29.

Inter alia etiam eleganter videre licet in morbis horum viſcerum idiopathicis, imperfecte iudicatis, male tractatis, ſuppresſis, vel naturæ, vel medici, vel ægri errore, atque ex his ortis mirabilibus metaſtaſibus, quot non, quanti & quales affectus inde propullulare poſſint, & ex his ratiocinio ab analogia deducto ad reliquorum originem ex hoc fonte concludere, eamque explicare, & vberius illuſtrare. Ita dyſenteria intempeſtiue ſopita apoplexiam, paralyſes artuum, ſpasmos varios, quin animi perturbationes & ſopores poſt ſe trahit. HIPPOCRATES annotat Coac. 462. intempeſtiue ſuppreſſam inteſtinorum difficultatem ab-

k) Vid. ſupra laudata Diſs. de Metaſtaſi, cap. IV. §. 2.

* De hæmorrhoidibus tot morborum vindiciis & leuamine, prolixius hic diſſerere opus non eſt, cum a Stahlianis vberrime factum ſit. Notamus ſaltem, hæmorrhoides omnibus affectibus ex imo ventre oriundis, adeoque plurimis fere morbis, ſalubrem medelam afferre, ideoque inter optimas metaſtaſes & magna naturæ beneficia merito referri, dummodo liberales ſatis, neque nimium typicæ ſint. Atque hæmorrhagia in genere eiusdem ſane originis, paralyſes, colicas, ſenſuum vitia, ſopores chronicos, febres hypochondriacorum & hyſtericarum ſoluit. Deliros quocunque modo ſi non liberat, leuat tamen: leuat etiam epilepticos. Soporibus acutis accedens per aliquot dies vitam trahit, ſed requiritur, vt bonæ notæ ſit, ſatis liberalis, neque ex vna nare ſaltem fluens, neque guttatim deſtillans, & iuſto præterea tempore accedere debet. Ita menſibus copioſis (mirando phænomeno) collum obſtipum ceſſit. Hæmoptyſi ſenſuum vitia ſæpe ſoluuntur: ſopores illa etiam terminantur. v. Diſs. de metaſt. l. c.

abſceſſum in coſtis aut viſceribus aut articulis inducere. Ita hæmorrhagiæ, narium præcipue, coërcitæ dolores capitis, quin ſurditates; hæmorrhoides & menſes ſuppreſſi aſthma, tympanitidem, colicam, multaque alia poſt ſe trahunt. Ceſſantibus aut ſuppreſſis vterinis inordinatis hæmorrhagiis, mictui cruento, fluxibus ſanguinis ex ano admodum diuturnis tandem ſopores accedunt. Ita interceptas hæmorrhoides & menſtrua, coërcitas dyſenterias, hæmoptyſes, febres inflammatoriæ, phthiſes, obſtructiones viſcerum chylificatoriorum excipiunt. Ita ceſſantibus hæmorrhoidibus, & arthritide calculi naſcuntur. Ita nimiæ hæmorrhagiæ in hydropes abeunt, ſi prægreſſa fuerit obſtructio viſcerum. *m*) Et quot non morborum genera ex ſolis hæmorrhoidibus ſuppreſſis notata ſunt?

§. 30.

Atque vix non omnes metaſtaſes, i. e. morbi imperfecte iudicati in alium ſucceſſiones, ſeu materiales, i. e. cum depoſitione materiæ alicubi corporis coniunctæ, ſeu neruoſæ, i. e. ſine hac, & neruorum ſaltem, ſeu motui inſeruientium, ſeu ſenſationibus, ſeu ipſis ſublimioribus animæ miniſteriis, affectionibus debitæ, ex his originibus natales ſuos trahunt, & ſpecificis viſcerum imi ventris vitiis. *n*) Quod theorema vti quidem nouum eſt, veriſſimum tamen, ita aliud inde efficimus, non minoris dignitatis & vſus: viſcera hæc tantum ad coctiones pathologicas conferre, quantum ad phyſiologicas.

§. 31.

m) Vid. Diſſ. de metaſt. Cap. IV. §. 5.

n) Præcipue hepatis, lienis, glandularum meſaraicarum, quin vteri & ouariorum &c. potiſſimæ vero harum partium affectiones continentur obſtructionibus, atonia, circulo humorum impedito, ſecretione liquorum inteſtinalium turbata, vel plane ſublata, metaſtaſibus ſingularibus ad illa loca factis, & ipſa fabricæ deſtructione ob varias cauſas. ibid. Cap. II. §. 1. & §. 2. phænomena in cadaueribus circa hæc viſcera ideo obſeruata, febribus malignis demortuorum perſimilia. Inde eſt, quod omnibus febribus malignis criſes imperfectæ eſſentiales ſint atque neceſſariæ, in quibus ideo, vti per omnem morbi decurſum peſſima circa has partes ſymptomata, bilis inprimis ſingulares corruptiones, imo putredines arguentia, ita poſt mortem ex ſectionibus deterrima eorundem vitia luculenter conſpiciuntur.

§. 31.

Transgredimur ad argumenta ex therapia generali petenda. Neque horum ſane multa deſunt. Afferemus potiora. Atqui pauca profecto medicamenta ad ſanguinem transeunt, ſed in primis ſtatim viis effectum ſuum in reliquas partes exſerunt modo conſenſuali: maxime heroica iſta, atque vbi periculum in mora eſt, exhiberi ſolita: exemplo ipſius opii, reliquorum anodynorum, omniumque fere antiſpasmodicorum, ſpirituoſorum, analepticorum, ſalium volatilium, nitroſorum, aliorumque, inprimis penetrabilium, citoque iuuantium remediorum: vomitoriorum etiam & clyſmatum non ſola materiæ exturbatione proficientium. Neque ſatis vel infinitam DEI clementiam extollere, vel ſtupendam ſapientiam admirari poſſumus hac in re, qui, quum vbique nobis remedia ſubminiſtrarit, proxima nobis via ſuccurrendi, ita & in exhibitione medicamentorum voluerit, vt vix deglutita ſtatim in ventriculo effectum corpori humani ſalutarem edant, & innumeris eius calamitatibus e veſtigio quaſi medeantur, vel ſaltem ſymptomata vrgentia, maxime e genere ſpasmodicorum ampliſſimo, & dolorum vbicunque corporis, deleniant & mitigent.

§. 32.

Dein, ſi hunc reſpectum (§. 31.) plane præterimus, & titulum ſaltem communem atque inſcriptionem ſequimur, ex tota quam habemus ſupellectile medicamentorum & ampliſſima, permagna ſane pars primas vias aut euacuat, aut alterat. Habemus tot vomitoria, ſexcenta purgantia, fortia & mitiora, per epicraſin laxantia, digeſtiua, & quæ parciore manu oblata fiunt alterantia, roborantia, diaphoretica, diuretica, aperientia &c. Sed & referenda huc illa polychreſta ſic dicta, o) elixiria vitæ, balſama vitæ, elixiria proprietatis, totque alia, eſſentiæ, tincturæ, mixturæ etiam ſimplices &c. omnia & tam innumera ſalina: item hepatica, ſplenetica,

o) Quin etiam glorioſa medicamenta iſta vniuerſalia, tincturæ, eſſentiæ &c. vniuerſalia, ſi quidem darentur, ita comparata eſſe deberent, vt his viſceribus maxime mederentur, vel liquida eorum ſimul & ſemel corrigendo, vel neruis eorundem generalem vim aliquam medicatricem imprimendo, mox toti corpori conſenſualem.

netica, anticterica, aromatica, omniaque bili analoga insignium virtutum medicamenta, castoreata, moschata, zibethina, ambrata, extracta fere omnia, & qualiacunque amara, saponacea denique, quatenus hæc indolem liquorum intestinalium æmulantur. *

§. 33.

Sed eadem hæc remedia primas vias euacuantia omnium frequentissime etiam adhibentur, atque in omnibus omnino morbis, præsertim plusculum grauioribus, maxima cum euphoria. Idque adeo notum est, vt vel ipsa plebs ea non raro per se ex pharmacopoliis petat, & proprio marte ita sibi sæpissime medeatur. Reuera etiam maxima curationis pars iisdem absoluitur, præsertim vomitoriis, ita quidem vt v. gr. in febribus acutis hisce rite præmissis, & addita V. S. nihil aliud agendum sit, quam vt præter iusta temperantia, coctionis æquabilem tramitem seruantia, atque in omni febre necessaria, naturæ semper chylum medicinalem humectantem & diluentem suggeramus, vt crisis per sudorem & vrinam, naturæ opus, non medici, perfecta consequi possit.** Atque vt aliqua tantum dicamus de vomitoriis, tantum abest, vt adeo metuenda sint, ac vulgo perhibent, (præsertim ipecacoanna, quæ tartaro emetico stimulata omni sub casu sufficit) vt potius saluberrimos præstent & mirificos effectus, & præsentissimum lenimen per totum morbi decursum, vel iterato exhibita, præsertim, quo malignior & grauior vniuersim morbus fuerit, atque in genere nil fere effici possit maioris momenti in praxi, nullumque ocyus & subitaneum mali leuamen, stabile quidem, sine his, per tot

* Multa hanc in rem dici possent, & plurima addi. Sed reliqua quiuis facile supplebit. Scil. omnia medicamenta ingentem mutationem subeunt in canali alimentario, tam a solidis, quam fluidis, sed & ob eandem rationem in hunc primarias suas exercent virtutes, & inde in reliquum corpus, vel subito, modo consensuali, vel serius modo tralatitio, chylum quasi medicamentosum aduehendo in sanguinem, reliquos humores corrigentem, temperantem.

** Ridiculum mihi sane videtur, euacuantia hæc in omnibus fere morbis præscribere, vel iteratis vicibus, vti quidem libri practici suadent, neque tamen causas eorum antecedentes in hisce visceribus agnoscere, vt fatear, me hac obseruatione inprimis in hanc sententiam adactum fuisse.

tot laxantia ex ordine data, vt effectum his æqualem præstarent, malo in dies ingrauescenti non satis paria, ægros maiori cum molestia & minori cum euphoria diutius trahentia (quamuis & hæc sæpe addere necesse sit) multo serius sperandum. Vtque solos apoplecticos nominemus, vnicum sæpe vomitorium eosdem resuscitauit, multo magis, quam omnes pulueres & mixturæ &c. antapoplecticæ, acerrima odoramenta, ipsaque electricitas, (absque dubio, quod magnum discrimen inter neruos primarum viarum afflictos & cutaneos) & quæ sunt reliqua huiusmodi artificia: alios itidem alterum iam pedem in cymba Charontis habentes ad vitam reducens. Ita & vsus clysterum in omnibus fere morbis insignis est. * Eadem est ratio purgantium, laxantium &c. si vel sola salia & aquas minerales, tantarum virtutum medicamenta appellemus.

§. 34.

Atque ita viam satis muniuimus, vt tuto progredi possimus ad ipsos morbos speciales, & propius intueri eorundem commercium cum primis viis. Primo horum loco sint inter acutos febres malignæ, inter chronicos malum hypochondriacum: illæ acutum vitium specifico modo affligens hepar & reliqua hæc viscera,** hoc chronicum, potissimum ex viscerum officinæ chyli imbecillitate proficiscens: vtraque mala grauia, medicorum operam non raro eludentia, ita comparata, vt quicunque morbus vel acutus, vel chronicus oriatur, semper aliquid consortii vel ex istis, vel ex hoc accedat.

§. 35.

Quod attinet ad febres malignas, ex iis quidem solis, & innumeris earum symptomatibus in omni parte corporis, quoad omnes actio-

* Vid. maxime Diss. B. Exc. Prof. Med. extraord. Tubing. FABERI, sistens vlteriorem expositionem nouæ methodi Kæmpfianæ curandi morbos chronicos inueteratos.

** Vid. hunc in finem egregia Diss. Dn. Lt. CONSBRVCHII, nunc Physici Vayhingensis, de febribus malignis, Tub. 1759. Sed HIPPOCRATES iam malignitatem morborum ex hoc fonte deriuat. Præd. I. 72. 90. 56. Coac. 31. 32. 33. 322. Taceo sexcenta alia eiusdem de malignis oracula grauissima.

actiones naturales & animales ſtupendam hanc vim aſſerere poſſemus. Quis enim credat, ſummas proſtrationes virium, moroſitates animi, mortisque timores, ſomnos turbulentos, inſomnia tumultuaria, agrypnias, viciſſim ſomni nimias cupidines, ſubitaneas corporis defœdationes & extenuationes, faciei modo rubores, modo pallores, oculorum triſtes adſpectus, imagines illis obuerſantes, vertigines, dolores varios, tenſiones, aliaque fugacia ſpaſtica circa muſculos, iuncturasque in ceruice & collo, dorſo, lumbis, manibus pedibusque, quos HIPPOCRATES pluribus locis damnat, dolores etiam capitis, præſertim in oſſe frontis & occipitis, obtuſos plerumque, ſudores particulares in capillitio, dorſo, atque ad claviculas, vuulæ & tonſillarum leues fugacesque tumores, aliasue catarrhorum & coryzarum varias laruas, varia veſtigia ſanguinis vndecunque, qui quidem prodromi harum febrium ſunt: dein deliria taciturna, vel ſub erroneis ſomni ſimulacris inter varios faciei mimos, manuumque geſticulationes vel ſub vigiliis, vel furioſa præſertim ad noctem, tremores, vocis mutationes varias in acutas, clangoſas, aut murmura ſaltem, linguas tremulas, dolores faucium, fugaces alicubi ad pectus, acutos, reſpirationem inæquabilem & ſpaſticam, anhelam, ſuſpiram, linguas nigreſcentes, muco lento obductas, dentes mucoſos cum cruſtis fuſcis ad labia, vel plane ſiccos, ſubſultus tendinum, oculos protuberantes, toruos, triſti modo nitentes, albugineam inflammatam, vel extrauaſatione cruenta notatam, palpebras glutinoſas, illachrymantes, catochum iſtum Aëtii, coma vigil &c. & quæcunque alia ſexcenta malignarum ſymptomata ſunt in progreſſu & vigore ſeſe efferentia, quis, inquam, credat, omnia hæc inde a primis viis repetenda, niſi certiſſimi eſſemus, funeſtas has febres peſſimis illarum vitiis vnice deberi? Et quis non ſtupeat, ſi audierit, in ipſis his febribus mox ab initio accedere ſopores, deliria, peruigilia ſæpe perpetua, & ex his peſſima deliria plerumque ad mortem vsque duratura, tremores membrorum, linguas protinus ſiccas, tremulas, faciem inſigniter emaciatam, oculos valde defædatos, vocem protinus mutatam, (cum ſecundum ordinem naturæ primo actiones vitales, dein naturales, tertio denique animales affici debuiſſent,) & illimitatum horum viſcerum impe-

perium mirabundus agnoſcat? Quid ſi audierit calorem, pulſum, ſanguinem, ab initio naturali ſimilem, vrinam itidem, vel plane coctam, veſicatoria nonnunquam, quin ad mortis articulum vsque, laudabile pus ſiſtere, fauces ſiccas, ægrum tamen non ſitire, & viciſſim, claro indicio totam œconomiam animalem perturbatam eſſe, omnia ſurſum deorſum agi absque lege?

Obſtupui, ſteteruntque comæ, vox faucibus hæret.

Quid ſi tot tantaque mala ex his originibus enaſci poſſunt, quidni reliqua omnia ex iisdem profluere credibile ſit? *

§. 36.

Eadem fere eſt ratio mali hypochondriaci, præſertim confirmati, ac febrium malignarum. Vti hæ plurima hypochondriacorum ſymptomata quaſi mutua habent, ſaltemque intenſiori gradu & ſpecie magis terribili ob acumen morbi coniunctum, ita hoc viciſſim, ſaltem leuiora, minus terrentia, ob lentam admodum morbi indolem. Vti hæ quaquauerſum ex hac quaſi cauea innumeris ſymptomatibus in corpus irruunt, ita illud itidem, quæ vero breuitatis cauſa omittimus, etſi demonſtrationis cauſa addere abs re non eſſet. Morpheus & Morio morborum ideo appellatur, quoniam ſexcentas quaſi formas laruasque alias ex aliis inducit. Nullusque erit fere morbus, cui non aliquid hypochondriaci

* Reuera certiſſimum eſt, morbos quoscunque, quo rebelliores, imo pernicioſiores, eo magis ad malignarum naturam accedere, & cum earundem ſymptomatibus conſpirare, vel ſolis exemplis apoplexiæ, febris illius tertianæ ſoporoſæ, vtplurimum tertio die lethalis, cari, lethargi, maniæ, melancholiæ, epilepſiæ &c. ſatisque vel exinde patet, morbos cunctos grauiores his viſceribus natales ſuos debere, omnesque in genere ſaltem differre ratione cauſarum antecedentium ex iisdem vel grauiorum, vel leuiorum, quibus ſub caſibus vel plura, vel pauciora ſymptomata harum partium ſeſe addant: vt adeoque etſi primo intuitu conſenſum morbi cum his viſceribus non ita manifeſtum deprehendas, ad contrarium, & plane nullas ex hoc fonte cauſas remotas concludere non liceat, oculatus enim & a præiudiciis liber ſedula inueſtigatione ſemper qualiacunque inueniet primarum viarum ſymptomata, etſi non acuta ſemper & maxime doloroſa (hæc enim fallere non debent) quæ vel optimam curandi viam præmonſtrabunt, omnino eo leuiora, quo leuior ipſe morbus.

driaci implicitum sit, vti vicissim nullus fere non mortalium tale quid habet: *p*) atque vniuersim omnes homines sunt vel laten-

p) V. non satis laud. Diss. de Metast. C.II §.VI. Et quidem affectio hypochondriaca, vel saltem chylificationis qualiscunque perturbatio hæret in quamplurimis corporibus, nec semper percipitur, sed ex illa fiunt metastases insignes, multique acuti & chronici morbi, quos omnes antecedunt & comitantur varia hypochondriaca symptomata e. gr. subflauus cutis aspectus, vel oculorum canthi potissimum interni, vel apicum digitorum, (obseruantur hæc in febribus acutis, malignis, pleuriticis, in intermittentibus, quam diu paroxysmus durat, in affectibus soporosis, & apoplecticis &c.) spasticus faciei rubor, anxietates præcordiorum, molestiæ ex flatibus, subitanea repletio a pauco cibo adsumto, somnolentia periodica quædam, pectoris puncturæ, durities abdominis, tensio, dolor præcordiorum a contactu, nausea, appetitus prostratus & spastico-hypochondriaca symptomata multa, quæ omnia vitia imi ventris ostendunt. & §. 7. Causa, vero cur non omnes, qui viscera imi ventris deprauata habent, grauia mala incurrant, in victus ratione, mutationibus loci, laboribus, & animi constitutione bona, non mutata sæpe ab affectibus excedentibus, præcipue quærenda. Sunt tamen & hi omnibus iniuriis expositi, & facile ab illis afficiuntur, contagiis etiam excipiendis magis opportuni sunt, & maxime periclitantur, si malignæ febres grassantur, a quouis errore in diæta male habent &c. Scilicet malum hypochondriacum non ex solis istis phantasmatibus, quæ sibi nonnunquam fingunt hi homines, colligendum est, neque credendum, omnes hypochondriacos curarum & meditationum plenos esse debere. Multi etiam ob peculiare phantasiæ acumen, quo iidem pollent, longaque humanarum rerum experientia edocti artificiosi sunt simulatores & imbecillitates supprimunt. Omnino quidem plebi operariæ ob perpetuas vicissitudines laborum, quibus & tutissime vindicatur a speculationibus hypochondriacis, hisce indulgere tempus non vacat: sed ob alias causas & 6. rerum non naturalium excessus in alios morbos ex iisdem originibus facilius incidit. At fortunatiores plerique, honoratiores, vitæ sedentariæ magis adstricti, docti, delicatuli, sensibiliores, singulariter ingeniosi, latenter ambitiosi, & quicunque alii emunctioris naris & vltra vulgus sapientes verissime tale quid habent. Vtque vel in prouectiore ætate, & appropinquante senectute obseruamus, facultates animæ magis crescere, quo magis corporis vires decrescunt, & robustissimi quiuis vtplurimum etiam stupidissimi sunt, e contrario viri summo ingenii acumine dotati maxime imbecilles sæpe obseruati fuerunt, ita persuasissimum habeo, omnia hæc maxime a primiis viis dependere, vt stupendo phænomeno chronice deliri (ex his visceribus præprimis laborantes) incredibili sæpe robore præditi, quam primum ad se redeunt, in febrem lentam & phthisin incidant, & epileptici ex verissima HIPPOCRATIS obseruatione melancholici fiant,

tenter hypochondriaci, vel latenter phthifici, hi vero femper vtcunque hypochondriaci fimul. *

§. 37.

Operæ pretium erit, aliqua mox hic fubiicere de hæmorrhagiis. Vniuerfa quippe fere theoria Stahliana fuperftructa eft plethoræ, cuiuscunque generis, confequentibus inde variis congeftionibus, moliminibus hæmorrhagiarum, & tandem effufo fanguine ipfis hæmorrhagiis. Hæ funt vel caufæ, vel vindiciæ viciffim omnium affectuum, in iunioribus hæmorrhagiæ narium, in ætate virili & prouectiore hæmorrhoides, in fexu fequiori menftrua; reliquæ ex his ipfis oriundæ errore naturæ & vitio corporis. Noftrum non eft, hic difcutere, quo fenfu, & quanta fub extenfione hoc verum fit? Sed plethoram, fontem, & primam quafi radicem omnium morborum ipfi Stahliani deriuant a lautiore diæta & vita fedentaria, concoctionem ventriculi & inteftinorum vitiante, vel faltim nimium fanguinis generante: adeoque vel hoc nomine patet ex ipfa mente Stahlianorum, originem plerorumque pathematum ex primis viis deducendam effe. Sed percurremus & ipfas hæmorrhagias. De hæmorrhoidibus nullum du-

fiant, & v. v. Adeo arctum eft corporis, præprimis vero primarum viarum cum anima vinculum! Ut prorfus credam, eodem fluido nerueo e. g. ad concoctionem ventriculi opus effe, ac ad meditationes doctorum profundas, atque ifta quidem vigente his ideo incumbere non licere, & v. v. fi nimium his indulgeatur, concoctionem inde vitiari. Utque verofimile eft, vnicuique corpori conceffam effe fuam virium quantitatem, ita quod vni parti detrahitur, alteri additur. Mirabilia hic cumulare poffem, nifi forfitan extra oleas vagari viderer. Sæpe in incredibili verum eft, in verofimili mendacium! Ipfæ caufæ hæreditariæ, ipfa ætatis prouectioris ad leges naturæ ftadia, a noxis horum vifcerum fcenas fuas ordiuntur, docente experientia.

* Neque mirum: funt enim hepar & pulmones duo principalia microcofmi noftri vifcera, quorum pofterius BOERHAVIUS dimidium corpus appellauit, prius vero optimo & maiori iure ob fingularia plane attributa alterum dimidium appellare poffes. A priori maxime dependet prima coctio, a pofteriori fecunda, i. e. fanguificatio. Inde etiam patet, cur hypochondriacis & phthificis crifes perfectæ nullæ, & cur hæ noftris præfertim temporibus adeo raræ? Et cum vsque adeo plerique morbi nonnifi crifi imperfecta foluantur, cur vel hoc refpectu metaftafes vtplurimum hifce caufis tribuendæ?

dubium est. De hæmorrhagiis narium non solum in affectibus febrilibus acutis, sed & chronicis, vti sane & de reliquis fluxionibus sanguinis, tot habemus luculenta Hippocratica testimonia, vt nullum dubium superesse possit. Idque vel hoc vnicum docet, quod veteres hæmorrhagias ex aduersa parte adeo damnarint, vti HIPPOCRATES Coac. 327. sanguinis ex aduersa parte profluuium malum est, velut si in lienis tumore ex dextra nare effluat. Et circa præcordia idem spectari existimandum est: aliisque pluribus locis. Atque hæc vti sunt verissima, quæ obseruare quidem licet, non demonstrare, ita quoniam ex vulgaribus hypothesibus explicari non possunt, non temere reiicienda. Aliud tale grauissimum argumentum Præd. II. 162. quibus sanguis e naribus profluit, etsi alioqui sani esse videntur, iis tamen aut lienem tumidum, aut caput dolere, aut splendicans quiddam ante oculos obuersari comperies: magna vero ex parte vna & caput & lienem hunc in modum se habere videntur; atque Coac. 332. quibus sanguinis eruptiones diu perseuerant, iis temporis progressu aluus male afficitur, nisi vrina concocta prodierit.* Idem demonstrant tot alia Hippocratica præsagia hæmorrhagiæ narium ex præcordiorum varia conditione, ventris tumore, palpitatione &c. totque symptomata officinæ chyli non solum cum hac, sed & cum reliquis præsentia, ab eodem accuratissime notata. Omnia hæc enarrare superfluum esset, cum facillime euolui possint, præsertim Coac. Sect. III. de hæmorrhagiis. Ita in hypochondriacis melancholicisque confirmatis perpusillæ istæ sanguinis stillæ, quas generatim damnat, ex naribus, vel alterutra sæpe, vel mucus saltem subcruentus, verissime ex visceribus imi ventris consensuales. Sic videmus in febribus malignis varii generis, quibusdam subcruentas nares tum per initia, tum reliquo tempore, & propius a morte. Ita præcipue funestæ illæ, cum quibus accedente sopore, conuulsione, excretis antea nigris & ventre in tumorem sublato, mori ait. Inprimis damnat hæmorrhagias

* Sc. varias his hypochondriacas imbecillitates, plerorumque morborum tum acutorum, tum chronicorum atria, præsagit hic diuus senex, vti in genere plurimas ex hæmorrhagiis morborum origines & variorum solutiones.

hagias quarta die ab initio febris, vti in malignis & phrenitide frequentes.* Adeo omnes hæmorrhagiæ ſpontaneæ cum primis viis vel complicantur, vel ex iisdem conſenſuales & metaſtaticæ, primario tandem inde oriundæ: omnibusque aliquid cocti eliminatur, quod vero, vt incidenter moneamus, non promiſcue per artificiales ſanguinis detractiones imitari licet.

§. 38.

Quod febres acutas in genere attinet, itidem cauſas ſuas antecedentes ex hoc fonte nanciſcuntur, præſertim quo propius ad malignarum indolem accedunt, ita quidem vt v. gr. ephemera ſimplex, & plurium dierum cauſis leuioribus, & erroribus circa ſex res non naturales commiſſis deberi poſſit, quamuis & in poſteriori emetica vel cathartica locum habere queant: ſed quo ſunt maioris momenti, eo manifeſtiores ex hoc loco cauſas habent: quanquam & ex leuioribus huiusmodi vitiis oriri poſſint, quod vtrumque notauit HIPPOCRATES.** Speciatim vero ſymptomata harum partium in quibuscunque acutis coniuncta ſatis evincunt

* Sunt hi ſanguinis fluxus ab initio febris contingentes, ſi vel liberales fuerint, diſtinguendi, vtpote crudi, a coctis illis, quos HIPPOCRATES nominat, circa & poſt vigorem euenientibus, criſi perfectæ, quæ alias nunquam in febribus acutis fit, niſi per ſudores & vrinas, ſe nonnunquam aſſociantibus, attamen & hanc ſæpe tantiſper intercipientibus, vt ſudor ſæpe poſtea demum aliquot vicibus quaſi per modum recidiuæ matutinus ſequatur. Viciſſim id peculiare prioribus illis cum primis viis commercium eſt, vt, quod veraciſſimus Parens non vno loco ait: quibus per febres ſanguinis copia vndecunque eruperit, in refectionibus alui his humectentur: adeoque criſis perfecta non contingat, etſi, præſertim ſi liberales, multorum ſymptomatum magna leuamina eſſe poſſint: vt adeoque ſe habeant prorſus inſtar hæmorrhagiarum iſtarum e naribus iuvenilium, de quibus ſupra diximus, poſt quas aluum aliquando male habituram ait.

** Præd. II. 26. Seceſſus vero neceſſe eſt, his qui defatigantur, dum paruo cibo aut potu contenti ſunt, exiguos & duros procedere, ſiue quotidie, ſiue tertio quoque, aut quarto die, aut longiore ex interuallo prodeant: tuncque metus eſt, ne febris, aut alui profluuium ipſos prehendat. & 30. At liquidiores deiectiones, (quas antea 27. improbauerat) quæ citra febrem & die ſeptimo aut citius iudicio terminantur, vtiles, ſi ſimul vniverſæ effluant, neque repetant. Quodſi febris acceſſerit, aluique profluvia repetant, ſi diu perſeuerent, omnino mala.

cunt dicti nostri veritatem. Aluus aut obstructa, aut fluxa quidem, sed deiectiones liquidæ, grumosæ, admodum fœtidæ, cum alienis coloribus, viridi, lurido, fusco, rutilo, albo, cum impetu elisæ, tenesmo, & specie quasi obstructionis, spumis, ardore, vel pruritu sub & post transitum per anum, quadam etiam debilitate post excretionem: anxietates præcordiorum iactabundæ, nauseæ & inania vomendi conamina, sub progressu & versus vigorem inprimis timenda, si in screatum quasi desinant, vtpote delirii funesti indicia: vomitus ipsi, vel leuatorii, præsertim initio febris, vel critici sub vigore, vel mali, & plane deleterii circa incrementa ad vigorem vsque elisi, atri, fusci, virides; singultus mali ominis, præsertim quo propius ad vigorem perdurent, neque semper inflammationi, vel gangrænæ ventriculi & diaphragmatis tribuendi, quum plerumque saltem, vt in malignis, extrauasationes cruentæ in cadaueribus inueniantur, & vicissim inflammationes harum partium absque singultu: cardialgiæ, malæ præsertim seriores, vtplurimum prodromæ deliriorum; vti vicissim nonnunquam fluxum hæmorrhoidum in phreniticis magno leuamento præcedunt, alias etiam vomitum vermium, quin etiam vomitus illos leuatorios & criticos: dolores colici, inprimis suspecti, si post deliria cessent. Sed veteres generatim febres deduxerunt a bile, vel copia, vel crasi peccante, vti luculenter habet HIPPOCRATES, aliique.

§. 39.

Quod attinet speciatim ad febres pectoris inflammatorias, pleuritides, peripnevmonias, & pleuropneumonias, videtur quidem aliqua quasi antipathia intercedere inter hos morbos & horum viscerum labes, cum robustissima quæque corpora inprimis adoriantur & improuiso, & ex verissimo HIPPOCRATIS effato, acidum ructantes, quales fere sunt hypochondriaci, non admodum pleuritici fiant: attamen & hæ, præsertim quo fallaciores, & propiores malignarum indoli, verissime ex hac sede origines suas trahunt. Neque desunt manifesta symptomata ex hac parte, vti vicissim HIPPOCRATES plurima signa mala, lethalia etiam, & bona, criseos & metastasium præsertim suppuratoriarum vel phthiseos ipsius, vel abscessuum ad inferiora aut superiora, inde

de

de petiit.* Maxime vero peripneumonia, non raro tamen etiam pleuritis & pleuropneumonia inſtar malignarum decurrunt, præter alia communia earundem ſymptomata inuadunt cum nauſea, vomituritionibus, doloribus præcordiorum, horumque ſpaſtica ſtrictura, fæcesque exhibent non vno modo corruptas, decolores, virides, luridas, valde fœtidas, coagulis albis remixtas, ſpumoſas, & ſpaſtico modo excretas: vti viciſſim malignæ ſæpius initio reſpiratione difficili, puncturis pectoris, tuſſi &c. pleuriticas tales affectiones mentiuntur. Atque vtut hi affectus ſine vllis fere ſignis inuadunt, vtplurimum tamen ægri ſunt ante morbum voraciores, & præſertim carnium appetentiores. **

§. 40.

Neque ipſæ catarrhales febres benignæ (de malignis enim ſic dictis ſimplicibus & petechizantibus ſermo hic non eſt, quum proprie catarrhales non ſint) cauſis antecedentibus ex hac claſſe deſtituuntur, ſi vel excrementorum conditionem, aliaque ſymptomata huius generis coniuncta conſideraueris, vel ſolam analogiam chronicorum harum partium affectuum, tuſſis, aſthmatis, catarrhi, vel febrium iſtarum malignarum hæcce loca ſub initiis fugitivo, & ſpasmodico modo affligentium, vel corporum tabeſcentium, & hypochondriacorum, ex hisce partibus ſimul laborantium, ſequaris, vel earum medendi methodum conſideres &c. etſi viciſſim non negemus, tempeſtatum, anni mutationes, præſertim ver, & autu-

* Prognoſt. 99. 102. 108. 109. 112. 113. & Coac. cap. de Pleuritide & Peripneumonia. Inprimis etiam notandum, aph. illum 16. S. VI. a pleuritide aut peripneumonia detento alui profluuium ſuperueniens malum: non omnino prohibere euacuationem primarum viarum, cum & diarrhœam iſtam quaſi colliquatiuam circa mortem demum deſignet, & idem alibi non vno loco aluum mollem inter optima ſigna poſuerit, & Coac. 99. dolores laterum, qui neque V. S. neque alui deiectione &c. ſedentur, ad ſuppurationem tendere affirmet.

** Plane videtur coagulum iſtud inflammatorium in his febribus conſpicuum natales ſuos debere corruptis reliquiis ex victu animali & liquoribus inteſtinalibus ſpecifice vitiatis, præſertim cum veriſſimis obſeruationibus conſtet, pellem hanc pleuriticam mox augeri ex iuſculis ſolis carnium aſſumtis, & affectiones has ad Maium vsque epidemias ſubito disparuiſſe, cum olerum prouentus rurſus eſſet, atque in malignis, adeoque ſingularibus bilis corruptionibus, colores non vno modo alienatos exhibeat.

autumnum, occaſionem hisce febribus euoluendis vtplurimum præbere, quæ tamen nunquam exiſtunt, niſi & cauſæ antecedentes ſimul concurrant.

§. 41.

Febres exanthematicæ acutæ pleræque malignæ ſimul ſunt, aut malignitatis ſaltem conſortia habent, inprimis petechiales, aliaque malignis accedentia exanthemata omnis generis.* Speciatim purpura rubra & alba decurrunt vt malignæ, iisdem fere ſymptomatibus, eademque cadauera fere exhibent phænomena, leuiora ſaltem nonnunquam. Purpuræ puerperarum præter viſcera abdominis, vt in malignis affecta, inſuper coniuncta habent vitia organorum generationis ſimilia, in vtero notas inflammatorias, & gangrænoſo-putredinoſas, extrauaſata varia in cauo & ſubſtantia eiusdem: vti viciſſim, prorſus vt in malignis, ſanguis faucibus & naribus poſt mortem erumpit, abdomen intumeſcit &c. & generatim celerrima cadauerum putredo eſt. Adſunt præterea vomitus varii degeneres, deiectiones virides, dolorque præcordiorum, inprimis etiam anxietas nauſeoſa, & inde crebra iactatio, malo vtplurimum indicio: aliaque plura.

§. 42.

Febres eryſipelaceæ plures varia conſortia malignitatis, & ſimulacra quaſi catarrhalis febris, vt malignæ ipſæ, adſciſcunt, complicantur malignis febribus, phrenitide ipſa, papulis inſtar miliarium, varia itidem ſymptomata viſcerum officinæ chyli ſtipata habent, & quo grauiores, quod generatim ſupra monuimus, eo magis ad malignitatem tendunt.

§. 43.

De febre ſcarlatina & vrticata eadem fere valent, quæ de eryſipelaceis modo diximus: criſes imperfectas habent, vt omnes

* Inprimis memorabile, pleraque exanthemata, exceptis varioloſis, morbilloſis, & vrticatis, non neceſſario ad cutem amandari, ſed iuſta medendi methodo, maxime vomitoriis vel iteratis, auerti poſſe, cum viciſſim æſtuoſo nimis regimine & medicamentis, neglectisque primarum viarum euacuationibus facillime producantur: vt omnino nonniſi metaſtaſes ex colluuie primarum viarum & bile ſpecifice corrupta eſſe videantur.

nes malignæ, decurrunt itidem fere inſtar earundem, & varias malignitatis notas ſæpe præ ſe ferunt, ſoluuntur iisdem metaſtaſibus, per hæmorrhagias ſæpe profuſiſſimas narium, alui cruentas, interdum vomitionibus mixtas, icterum ſuccedentem, & ſub decurſu viciſſim variis hæmorrhagiis leuantur, vti malignæ. Neque curatio omnium harum febrium, quæ potiſſimum ipecacoanna, rhabarbarinisque mox ſub initio datis, vt ſymptomata mitigentur, & metaſtaſes periculoſæ vtplurimum ſubſequentes, inprimis phthiſis admodum frequens, & obſtructiones viſcerum chylificationis, auertantur, obtinetur, aliud probat.

§. 44.

Morbilli eodem fere modo ſe habent ac priores. Decurrunt inſtar omnium fere exanthematicarum, vt malignæ, nonnunquam catarrhali malignæ ſimiles. Tuſſis iſta ſæpe atrociſſima, ſpasmodica, veriſſime ex primis viis conſenſualis, & cum ſingulari conſtrictione circa præcordia coniuncta eſt, hinc vti reliqua ſymptomata ſpasmodica, dyſuriæ &c. ipſique mictus cruenti, vomitorio tempeſtiuo ex vehiculo aquæ tepidæ cum pauxillo olei oliuarum optime leuatur, totusque decurſus morbi delenitur: quod & ad facilem eruptionem ipſorum exanthematum plurimum poteſt, maximeque efficit, ne fauces, atque larynx, & pharynx tantum affligantur. Inprimis etiam aluus conſtipata tuſſim hanc, & anxias iactationes mirifice auget. Leuantur iisdem fere metaſtaſibus, ac præcedentes.

§. 45.

Variolæ, morbus nouus & plane peculiaris ſecundum mira eius phænomena; confluentes omnino inſtar malignarum incipiunt, & pergunt iisdem fere ſymptomatibus, eoque pluribus, nullo fere excepto, quo maligniores: mirandumque eſt, vti in hactenus allatis morbis contagioſis, contagium varioloſum protinus & ſingulari modo viſcera chylopœa afficere, præſertim hepar, bilemque corrumpere, vt omnia ſpaſtica morborum initia: quod ſatis teſtantur vomitiones iſtæ varie heteroclitæ, virides, luridæ, deiectionesque inprimis virides, quaſi conciſæ, grumoſæ, ramentoſæ, pelliculoſæ, cardialgiæ, dolores colici. Viciſſim ieci-

iecinorosi & lienosi opportuniores sunt huic contagio recipiendo, & si receperint, plerumque satis maligne laborant. *

§. 46.

Absolutis febribus acutis progredimur ad intermittentes, quae vtut specifica causa proxima, a continuarum omnino diuersa, gaudeant, antecedentem tamen itidem verissime ex eodem fonte trahunt: q) neque enim credendum vnicum circa 6. res non naturales excessum morbum talem periodicum, tam sublimis ordinis & constanter instar omnium sui generis decurrentem, producere posse, nisi varia viscerum imi ventris vitia antecesserint. Atqui hoc sub ipso morbi tramite non vno modo luculentum fit, inprimis per egestiones aluinas, & vomitus vario modo se habentia, interdum hypochondriacorum, interdum febrium malignarum,

* Singularia phænomena sunt in hoc morbo diarrhæa ista inde ab eruptione exanthematum ad exsiccationem vsque in facie, pusionibus & infantibus frequens, vti generatim in hac teneriori ætate motus naturæ luculentiores, perfectiores, magisque ad vtilitatem œconomiæ humanæ directi, & ptyalismus iste in adultioribus, eundem tramitem sequens, sub quo non mirum est, aluum satis naturalem esse, vel per aliquot dies non deiicere absque incommodo, cum natura per hanc excretionis viam sese exoneret, etsi vicissim, si longius duret obstructio, varia mala creet, anxietates, iactationes, cum hypochondriis tumentibus & dolentibus, ipsumque ptyalismum inæquabilem, hæsitantem malo omine, vel non vno modo præternaturaliter se nonnunquam habeat, excrementis supra descriptis.

q) In quo plerique & optimi Auctores etiam nobiscum consentiunt. Inprimis vero FERNELIVS non solum harum, sed & putridarum causam ibidem posuit, istarumque symptomata pleraque ex primis viis primus omnium luculenter deduxit. v. FR. HOFFMANN Med. rat. T. I. Proleg. Physiol. Cap. VI. §. X. Inde etiam spasticos affectus ex primis viis consensuales vix non semper perfectissime soluunt, ipsos epilepticos solæ ad sanitatem reducunt, sensuum præterea vitia, coma, carum, chronicos affectus soporosos, paralyses, aliquando etiam deliria acuta & chronica soluunt, v. Diss. de metast. cap. IV. §. 2. Ita malum hypochondriacum felicissime omnium profligatur accedente quartana. Constituunt hæ febres cum metastasibus ad cutem tutissimas & optimas excretiones cum ex veracissimi HIPPOCRATIS oraculo quicquid suppurat, non reuertatur: & profecto, si intermittentes proprio marte excitare possemus, de nullius fere morbi curatione amplius desperarem; & omnis sane medicina in saluo esset.

rum, ipſius phrenitidis, atque aliorum affectuum ſpaſticorum ſimilia. Idem demonſtrant nauſeæ, & anxietates præcordiorum, frequentius antea commiſſi errores diætetici &c. Speciatim habemus tertianas exanthematicas, ictericas, ſubphreniticæ etiam indolis. Sunt, quibus ſub paroxyſmis ophthalmia, vel alterutrius oculi ſaltem, imi ventris affectibus adeo familiaris, r) coniuncta eſt. Sunt, quibus ineunte paroxyſmo, & ſub finem, hoc quidem tempore cum parco ſudore, liberalis narium hæmorrhagia, quin & quaſi periodica ſic hæmorrhoidum veſtigia adſunt. Sunt, quibus paroxyſmum pro ſudore ptyaliſmus terminat, vel ſingularis diarrhæa glioſo-mucoſa, crudioribus tum vrinis: atque vt vnicam allegem, quæ inſtar omnium eſſe poteſt, funeſtam tertianam iſtam ſoporoſam, decurrentem omnino inſtar malignarum, iisdem plane ſymptomatibus, anxietatibus præcordiorum, vertigine, adſpectu icterico, vel palpebris inferioribus tumidis, vt in affectibus ſoporoſis, veſtigiis ſanguinis ex diuerſis locis, & ſingulari, fugacique tumore hypochondrii potiſſimum ſiniſtri, ructibus, flatibus &c. vtplurimum tertia iam periodo inſtar catarrhi ſuffocatiui occidentem: euidentiſſimum exemplum, nullum morbum pernicioſum, vel grauem absque huius officinæ noxa fieri poſſe. Quartanam veteres iam ab atrabilario humore, vti tertianam a bile flaua deduxerunt. s)

§. 47.

Accedimus ad morbos ſine febre, & chronicos, atque incipimus a capite. Dolor capitis, niſi ſingularibus & raris metaſtaſibus t) ad cerebrum materialibus, vti variis oſteogeniis præternatu-

r) Inde HIPPOCRATES: ophthalmia laborantem alui profluuio corripi bonum.

s) Curatio quoque ipſa harum febrium, quæ quoad potiſſimam partem in euacuantibus primarum viarum & roborantibus, adiectis ſemper temperantibus, in omni febre neceſſariis, conſiſtit, nil aliud docet: neque enim credendum, has febres ſine cortice peruuiano profligari non poſſe. Denique inuadunt, ſeu epidemiæ, ſeu ſporadicæ fuerint, vtplurimum circa anni tempora atrabilaria.

t) Neque ipſæ hæ metaſtaſes omni commercio cum primis viis liberæ, vtplurimum olim ex horum viſcerum vitiis ortæ, diſtincte periodicos dolores exhibentes, medicamentisque illis debitis ſaltem manifeſto levandæ.

naturalibus arteriarum, calculis, fungis, ſimilibusque debitus, quoad maximam partem etiam ſaltem externus, vtplurimum conſenſualis eſt ex primis viis: omnino vero omnis particularis, variis ſymptomatibus exinde ſtipatus, obſtructa aluo, aut ſaltem tardiore & ſicca nimis, cum variis deiectionibus præternaturalibus & ſpaſmodice eliſis: cui & leniter laxantia, clyſteres, aliaque medicamenta, humores primarum viarum vel corrigentia, & ventriculo hepatique amica, vel repentinam vim medicatricem, & nonnunquam anodynam in iisdem exſerentia, mox capiti conſenſualem, vti caſtoreata, crocata, camphorata, liq. anod. min. H. ſpiritus ſalis & nitri dulces, eſſentiæ variæ amaræ, guttula vna vel altera ſalis volatilis oleoſi Sylv. ipſe potus Coffeæ &c. apprime conueniunt: vtplurimum etiam corporibus hypochondriacis, hæmorrhoidariis, latenter phthiſicis, venereis familiaris, multorumque aliorum morborum ex primis viis conſenſualium ſymptomaticus: ſæpe etiam vomitu viridium maxime vel ſoluendus, vel leuandus: item hæmorrhagiis narium. Dolor capitis febrilis, easdem prorſus cauſas habet, iisdem ſymptomatibus ſtipatus, inprimis præcordiis male affectis, vomitibus varii generis, æruginoſis, nigris &c. aluo obſtructa, vel intercepta, atque eodem modo ſoluitur vel fluxione ſanguinis, vel vomitu, vel aluo erumpente. *u*) In malignis mox ſub initio adeſt, particularis ſaltem, graviſſimus tandem, atque in peſſimis quibusdam, vt febribus petechialibus, ſic dictis Hungaricis, ſubito occidens: quorſum ſpectat illud Coac. 160. continuus capitis dolor cum febre acuta & alio malo ſigno lethalis, & §. 27. allegata teſtimonia ſubitaneæ morbis cum eodem: viciſſim ſerius antecedit vomitus criticos, hæmorrhagias narium: interdum ſignum phrenitidis ſymptomaticæ cum præcordiis reuulſis.

§. 48.

Attigimus iam aliqua ſuperius de mirando capitis cum polypragmis his viſceribus commercio, extenditurque hoc non ſolum ad cerebrum ipſum & mentis operationes, ſed & ad reliquam faciem, ipſaque ſenſuum organa hic ſita, quod patet vel ſolis exemplis

u) **Vid. elegantiſſimum caput Coac. II. de cap. dolore.**

emplis surditatis istius, vel vitiorum visus post malignas febres saepe superstitum, hypochondriacorum itidem aurium sonitus, visusque fugacium incommodorum, periodicarum gustus & olfactus saepe in iisdem, & hystericis jacturarum, quin imô balbutientium, quos ideo HIPPOCRATES atrabilarios vocat, & alui fluxu maxime corripi ait. *v*) Sed ad ipsa deliria. Haec sane nonnisi metastases neruosae, (vti in suo genere paralyses, & spasmi atque dolores, cum vicissim has affectiones excipiant, iterumque in easdem transeant) speciatim vero ad illam virium animalium partem, quae animae operationibus dicata est: vt omnino idem materiae mobillimae genus haec genera morborum producere, vnumque in alterum transmutare videatur, saltem pro organorum diuersitate diuersa, (quod theorema ad omnes omnino actiones siue sanas, siue laesas extendere possemus, miris phaenomenis idcirca persuasi, nisi alia haberemus propiora;) haec, inquam, vtut paradoxum videatur, & a vulgaribus hypothesibus alienum, inde a stuporibus & varia mentis hebetudine verissime ex hoc capite consensualia, exceptis raris metastasibus ad cerebrum, aliis etiam morbis communibus

v) Huc pertinet etiam illud Praenot. 5. quin etiam per somnum an ex oculis quid subappareat, spectare oportet? Vbi namque non commissis palpebris ex albo quid subapparet, id si neque alui profluuium, neque medicamentum purgans expressit, neque ita dormire consueuerit aeger, prauum est indicium & lethale admodum; & aph. VIII. 3. a vomitu singultus & oculi rubri malum: & praesertim insignes istae mutationes in facie a nimio alui profluuio Praen. 2. & 3. scilicet nasus acutus, oculi concaui, collapsa tempora, aures frigidae & contractae, imisque suis fibris inuersae, cutis circa frontem dura, intenta, & resiccata, & totius faciei color ex viridi pallescens, aut etiam niger, aut liuidus, aut plumbeus. Haec est ipsa sic dicta facies Hippocratica, alias morientium! Ita nec, tritissimo prouerbio, plenus venter studet libenter. Sic itidem obseruantur in pathematibus hystericis vultus deformitas, & horribiles aspectu oris, labiorum & oculi distorsiones. LOMMIVS L. II. Obseruat. meminit incipientis cataractae ex stomacho proficiscentis, asserens, talem suffusionem intermittere & remittere, si curata coctione prospectum stomacho fuerit, inualescere & reuerti, si is cruditate labefactaretur. Vid. FR. HOFFM. Med. Syst. T. III. p. 101. Vti vicissim alibi legitur aph. VI. 50. Quibus perscissum fuerit cerebrum, his necesse est febrem & bilis vomitum superuenire. Stupenda sane phaenomena!

nibus ex hoc fonte oriundis, adeoque vel hoc nomine etiam hisce causis debitis. Id vero docent tot luculenta testimonia ex præcordiis maxime, vomitibus, alui egestionibus, vrina splenica ista veteribus dicta &c. quæ omnia oculatissimus HIPPOCRATES tam sedulo notauit. *w*) Diuiduntur generatim in acuta & chronica. Hæc sunt vel melancholica, vel maniaca. Illa vel phrenitica ipsa, vel taciturna ista, HIPPOCRATI atrabilaria dicta, a similitudine chronice melancholicorum.

§. 49.

Mania evidentissime ex primis viis consensualis. Inter signa prodroma huc facientia potissima sunt vrinæ vel aquosæ, quales etiam epilepticis instante paroxysmo communes, fœces virides, aut valde fœtidæ, spumosæ, tenesmodes: *x*) pauca sanguinis vndecunque vestigia, reliqua spastica: dein sub decursu maniæ præsertim ad ferinam iam progressæ fœces & vrinas quascunque emittunt, famis sunt patientissimi, cibum (vt in malignis, quarum symptomata inprimis cum maniacorum multum conspirant,) potumque præsertim cum deglutione quadam impetuosa, spastica, tussi, sternutationibus, reditu per nares intercepta, capiunt, nullo vomitorio vel purgante mouendi. Soluitur & leuatur per febres intermittentes, hæmorrhagias liberales, dysenteria, hæmorrhoidibus, per deiectiones singulares ramentosas, & solidorum singularium coagulorum, aliasque excretiones metastaticas, non immediate ex hisce locis contingentes, quas adeo hic, vti alias, omittimus, verissime tamen, quod de metastasibus in genere diximus, inde tralatitias: per icterum denique vniuersalem, quum vicissim particulares huius notæ in digitis, volis & plantis, & pessime omnium in oculorum canthis, inprimis cum sugillationibus cruentis albugineæ, vti in malignis, maxime sinistrum augurium exhibeant. Quod ad melancholiam attinet, ipsum nomen

w) Neque post iustum euacuans, inprimis vomitorium vel rhabarbarina tam manifesto leuarentur, vel cessarent, vel plane interciperentur deliria, si causa vsque adeo in fluido nerueo hæreret, vel inflammatio cerebri esset, vel extrauasatio serosa.

x) Præd. I. 10. Vomitus virulenti & æruginosi cum capitis dolore, surditate & insomnia promptam insaniam significant.

men originem ex primis viis iam declarat. Initium, finis, & metastases melancholicæ, præsertim subinde in maniam eadem quoque sunt, quæ ipsius maniæ supra recensita. y)

§. 50.

Rabies contagiosa, alias simpliciter a mirando illo symptomate, morbo iam furioso accedente, hydrophobia dicta, duo stadia habet, alterum melancholicum, alterum secundum phreniticum, adeoque vel hoc nomine iam patet, quid de ea sentiendum sit: atque vti morbus plane peculiaris, dirissimus, ita etiam singularia circa hæc viscera phænomena exhibet, & velut reliqui contagiosi morbi mox ab initio nescio quo modo specifice hepar afficere, bilemque vitiare videtur, vti vicissim saliua rabiosi maxime contagiosa est, eamque deglutientes ita angebat, vt mox morituros se crederent. COEL. AVRELIANVS iam monuit, in hydrophobis stomachum pati. Decurrit generatim instar febrium malignarum cum harum & phreniticarum similibus symptomatibus. Mox sub initio adsunt anxietates præcordiales, paulatim grauiores, ingentesque tandem, nauseæ, & vomitus interdum corruptissimæ bilis. Secundo stadio vel ad contactum liquidorum ad labia, inter borborygmos in abdomine, dolores epigastrii, ad horrendas illas & miras conuulsionum & strangulatoriæ deglutitionis formas perueniunt: & quibus aqua saltem offerebatur, præter eadem symptomata ventriculus mirum in modum intumescebat. z)

§. 51.

y) Neque aliud indigitat tota huius generis affectuum curatio. Remedia potiora sunt, vomitoria, iteratis vicibus repetita, rhabarbarinaque per plures dies exhibita, aliaque putredini primarum viarum specifice aduersantia, bilemque corrigentia, aloëtica, castoreata, moschata &c. & quæ febri forte præsenti debentur nitrosa, V. S. ex pede, vt sanguis circa viscera imi ventris semper restagnans expediatur: cæterum sub remissionibus antihypochondriaca omnia, & quæ morbis viscerum imi ventris obstructoriis debentur. Atque in ipsa mania ferina, vbi vomitorium vel tantillum efficaciæ habuerit, aut aluum saltem expurgauerit, mitius plerumque habent, & quidam domire incipiunt. Ordinarias quoque suas exacerbationes habent hi affectus circa anni tempora atrabilaria, vt reliqui atrabilarii.

z) Moriuntur itidem vti in febribus malignis & phrenitide: alii soporosi alterutro latere mixta ex spasmo & paralysi affectione prehensi, inter

pro-

§. 51.

Progredimur ad reliquos affectus neruosos cuiuscunque nominis, spasmos omnis generis & affectus spasmodicos, graues & leues, fugacesque saltem, epilepsias, apoplexias, tetanos, emprosthotonos, opisthotonos, paralyses, atonias, sopores, ipsos dolores, capitis, arthriticos, rheumaticos &c. Omnes hi morbi vtplurimum ex visceribus chylopoeseos *a*) & partibus generationis consensuales, atque virium animalium singulares & specificæ affectiones. Miro modo inter se conspirant, sibi inuicem succedunt, vnusque in alterum stupendis sæpe metastasium exemplis transmutatur. Vtque omnes affectus neruosi tendunt in excretiones materiales, ita vicissim hæ conspirant tandem, tanquam vltimam naturæ metam in abscessum suppuratorium qualemcunque, bene quidem, si laudabile pus sistat, atque ad exteriora deponatur, neque alicubi viscerum. *b*) Primo loco sint sopores. Omnes soporosi aliquid subdeliri habent, saltem stupidi, & diuersis viscerum chylopoieticorum vitiis diu ante conflictantur, vti nec sub decursu horum affectuum varia eorundem symptomata desunt, vt HIPPOCRATES Præd. II. 165. generatim dixerit: qui partes eas, quæ subsunt oculis, vehementer sublatas habent (i. e. palpebras inferiores tumidas, quales soporosi) magnos habere lienes comperies. Inde tot chronicorum & acutorum morborum ex iisdem natalitiis symptomatici & metastatici, v. gr. in febribus malignis aliisque acutis malignitatis suspicionem habentibus; in dysenteria intempestiue adstricta: a vermibus intestinorum innumera exempla soporum, a variis aliis metastasibus materialibus re-

profusos sudores, dolorem hypochondriorum ex contactu vel compressione facie saltem testantes, nec tamen expergiscentes: alii inter singultus perpetuos itidem soporosi. Ipsaque cadauera non alias quam in malignis & phrenitide horum viscerum nefandas corruptiones declarant.

a) Inde febres malignæ, malumque hypochondriacum tot spasmodicis aliisque huius generis symptomatibus stipatæ.

b) Hinc plerumque harum affectionum ad deliria vsque finis tandem phthisis qualiscunque: inde omnes abscessus, tot spastica, ipsasque phthises hypochondriacis & arthriticis persimilia symptomata, antecedunt & vicissim interpolantur, donec natura iterum ad suppurationem redeat.

repulſis, aliiſque morbis, inprimis hæmorrhoidalium omni ambitu. Vlcera viſcerum, hepatis præſertim & vteri vtplurimum vitam terminant cum ſopore inter inflationes abdominis tympaniticas: ipſis chronice deliris, maniacis, epilepticis, ceſſante citra cauſam morbo, ſopor mortem attulit. Ipſe aſcites & tympanites perſæpe ſoporoſo modo interimunt, aliique morbi hiſce originibus tribuendi. Viciſſim ſoluuntur, vel leuantur hæmorrhoidibus præſertim liberalibus, febribus intermittentibus &c. hæmorrhagiis vterinis, fluore albo, ſcabie, carbunculis, amplis præſertim & multis, arthritide fixa, rheumatiſmis recidiuis, & quæ ſunt huius generis alia. Sæpe icterus ſopores lethales, ipſumque lethargum comites habuit, viciſſim idem chronicos ſopores ſoluit. *c*)

§. 52.

Apoplexia (quidquid alii obloquantur de extrauaſationibus iſtis ſanguineis, in cerebro nonnunquam inuentis, ſed non perpetuo, nonnullis tamen malignis etiam frequentibus, quarum ſymptomata inprimis cum apoplexia quibusdam multum conueniunt) inprimis ſeroſa illa, Aretæo atrabilaria dicta, veriſſime ex viſceribus chylopoieticis conſenſualis. Signa prodroma ſunt varia hypochondriaca, flatuoſa, aliaque horum viſcerum ſymptomata

c) Lethargici ſaliuam labiis effluentem habent, nonnunquam per ſomnum, excrementaque alui fœtidiſſima, vt in malignis: ad mortem abdomen inflatur, & cadauerum ſimilia fere vitia ac malignis febribus exſtinctorum: nec non in aliis harum affectionum ſpeciebus. Præclara teſtimonia huc pertinentia v. Coac. 139. & L. de Morb. II. LXIII. aliaque paſſim. Parua ſanguinis vndecunque veſtigia (qualia & maniacis, phreniticis, aliisque febribus malignis, funeſto plerumque præſagio) præſertim ex alterutra nare his abſolute lethalia ſunt, quum viciſſim diutius paulo trahantur, quibus ante quartum diem ptyaliſmus largior obtigerit. Atque ſingularis iſte neruorum ventriculi & inteſtinorum torpor in his affectibus, & paralyſis quaſi, vt in malignis quibusdam, maniacis aliisque grauiſſimis, chronicis, ob quam nonnunquam vel vomitoriis & acerrimis clyſteribus, vel plane non mouentur, præſertim ſerius exhibitis, vel aluus ſaltem ſubducitur, vt in caro per ſomnum vomant non expergefacti, & ex hypochondriis compreſſis dolorem facie ſaltem teſtentur, reſpiratione inde quaſi ſtrangulatoria per breue tempus ſubſequente, ſatis declarat, quam grauiter affecta ſint hæc viſcera. Tota curatio idem teſtatur: & generatim ſine vomitoriis, vti alias, hic nihil fit.

mata, anxietates præcordiorum, animi mutationes, vertigines, viſus & auditus perturbationes, ſubitanei pallores & rubores, aliaque ſpaſtica: morbus inter prandium cœnamque vel poſt hanc in lecto impetum vtplurimum facit, vti etiam plerumque de nimia repletione antea conqueruntur. Voraciores itidem ante inſultum plerumque, neque in genere absque variis & diuturnis prægreſſis diætæ vitiis, inprimis abuſu vini, inuadit. Plerumque ſub ipſa inuaſione abdomen ſimul ſpaſtice inflatur, vomitorium vim putridæ bilis, æruginoſæ &c. & clyſma excrementorum fœtidiſſimorum prolicit: peſſimumque hic itidem ſignum, vomitorio ne aluum quidem ſtimulante. Pertinet ad HIPPOCRATIS morbos atrabilarios.

§. 53.

Paralyſis, conſequens apoplexiæ, quæ viciſſim effectus ſpecifici acuti vitii circa viſcera chylificationis, ſæpe etiam oriunda ex colica vehementi, omnique inteſtinorum graui & ſpaſtico dolore, quorſum pareſis ex colica pictonum, vſu vini lithargyrio infecto, & paralyſis metallariorum ex aſthmate, tuſſi, colicisque doloribus incipiens, pertinet: ex vermibus: dyſenteria: partu difficili: febribus acutis exanthematicis, malignis: omnis hæc manifeſtum habet commercium cum primis viis, exaſperatur temporibus anni atrabilariis, inprimis pluuioſo & auſtrali cœlo, quo ſub caſu etiam varia earundem ſymptomata luculentius ſeſe efferunt, inprimisque alui excrementa deteriora & ſæpe fœtidiſſima: ſolvitur itidem hæmorrhagiis liberalibus, diarrhæa bilioſa &c. *

§. 54.

Epilepſia, morbus etiam ſputatorius, ab epilepticis ſputatoribus

* Speciatim in paralyſi ex apoplexia ſuperſtite variis viſcerum primæ coctionis ſymptomatibus conflictantur, interdum vel ſub reſpiratione & loquela ſenſum doloris in epigaſtrio manifeſtum percipiunt, quo tempore etiam membra affecta difficilius mouentur, magis balbutiunt, & alia capitis conſenſualia ſymptomata patiuntur, quæ interdum ſpontaneus vomitus vel diarrhœa mirifice leuat, niſi aliæ excretiones, præſertim ptyaliſmi lentiſſimæ ſaliuæ, prurigines ſedis & genitalium, interceſſerint. Ab ipecacoanna plerumque viridia vomunt, & aloëticis fœtidiſſimas fæces emittunt. Eadem fere valent de hemiplegia, paraplegia.

ribus inſtar hypochondriacorum, ab HIPPOCRATE inter atrabilarios morbos relata, quorum periodos ſequitur, nonnunquam in ſexu ſequiori etiam menſtrua vtcunque, vario modo ſemper ſe habentia, interdum plane obſtructa: viciſſim erratico modo nonnunquam ob varia diætæ vitia, animi præſertim affectus, inprimis iram, exacerbanda, vti generatim hi homines variis eorum viciſſitudinibus obnoxii, mox effuſe hilares, mox derepente triſtes prorſus inſtar iecinoroſorum, facillime iracundi, ſubinde ingenioſi, vtplurimum tamen hebetiores, ſtupidi. Inter alia viſcerum abdominalium vitia & ſymptomata ſpaſmodica inprimis nuntii ſunt inſtantis paroxyſmi vrina iſta tenuis, ſplenica, ſtrictura præcordiorum, anxietates ex iisdem, dolores inteſtinorum, teneſmi, animi mutationes, ſolitudinis amor, triſtitia &c. ſub ipſo inſultu nonnunquam ingens circa præcordia conſtrictio & anxietas, vehementiſſimus capitis dolor. Aluus in genere aut valde ſicca, aut viciſſim lubrica quidem, ſed valde fœtida, pruriens, ardens, ramentoſa, mucoſa, vti fere in affectibus ſpaſmodicis cum vario teneſmo deiicit, & poſt excretionem debilitas vel palpitatio cordis, aliâs ſub imminente paroxyſmo etiam præſens.

§. 55.

Atque in genere affectus ſpaſmodici, conuulſiones, emproſthotoni, opiſthotoni, tetani, choreæ ſic dictæ S. Viti &c. mirabilium ſæpe formarum & pro dæmonum præſtigiis nonnunquam fallentes, manifeſto cum viſceribus imi ventris conſpirant, cum variis deliriis coniuncti. Menſtrua vtcunque ſimul turbata aut plane abſentia: non raro ex vermibus, præſertim tæniis & variis cum his coniunctis officinæ chyli vitiis orti, viciſſim ex aliis metaſtaſibus materialibus, præſertim cutaneis repulſis: ſoluuntur & leuantur menſtruis reſtitutis, hæmorrhagiis narium, diarrhœis killioſis : aluusque ſub illis, ſeu obſtructa ſit, nonnunquam adeo pertinaciter, vt vix ſolui poſſit, ſeu liquidior, excrementa ſemper præternaturalem putredinem, admixtas pelliculas, ramenta, mucos, interdum veſtigia cruoris, quin corpora quædam ſolida, quaſi adipoſa vel carnoſa, interdum vt in dyſentericis: vrinæ etiam ſeu aquoſæ, ſeu febriles, cum vel ſine ſedimentis pelliculas & filamenta innatantia exhibent.

§. 54.

§. 56.

Tranfimus ad morbos pectoris: primo tuffes. Sed & hæ, etfi non negemus pectori idiopathicas, catarrhales, ex epidemicis caufis, aliisque pulmonum & laryngis priuatis vitiis, vtplurimum tamen ex vifceribus abdominalibus originem trahunt, præfertim ficcæ, fpafmodicæ, conuulfiuæ; quamuis & humidis femper fefe aliquid tum fymptomatum, tum acceffionum ex primis viis corruptæ vifcidæ materiæ, ad has partes translatæ, easque laceffentis, affociet. Habemus tuffes ftomachales ftricte ita dictas, fæpe ferociffimas: omnesque in genere ex fingulari & ineluctabili ftimulo laryngis vel pharyngis ad tuffiendum irritante incipientes, (quales fere funt plurimæ,) cum ftrictura præcordiorum fimul coniuncta, alias etiam accedentibus ructibus, flatibus, tenefmis, cardialgia, veriffime hos natales habent. *d*)

§. 57.

Eadem fere valent de afthmatibus, omnibusque fpeciebus refpirationis difficilis fine febre. Præter illas ex caufis externis, & thoraci pulmonibusque idiopathicas, reliquæ fere omnes, & qualescunque fpafmodicæ, cum fenfu ftrangulationis, laryngeæ, conftrictione præcordiorum, anxietate coniunctæ, conuulfiuæ mirabilium fæpe formarum, ex vifceribus imi ventris confenfuales. Pertinent huc afthmata hypochondriacorum, hyftericarum, phthificorum, inter varias inflationes hypochondriorum, cardialgias & fimilia, arthriticorum, febrium malignarum, fpafmodico-flatulenta, aliaque ex prægreffis coniunctisque aliis affectibus vifcerum imi ventris tum acutis, tum chronicis, obftructionibus, vitiis vteri, ouariorum, longo illo fyrmate affectuum hæmorrhoidalium. Inprimis valde fufpecta, quibus poft aluum tenefmode modo leuatam paroxyfmi breues cum infigni inde debilitate & palpitatione cordis, vt in malignis quibusdam, fuccedunt.

d) Inde etiam tuffes iftæ phthificæ, hydropicæ adeo mali ominis, aliæque in morbis vifcerum, imi ventris obftructoriis, febrium malignarum fymptomaticæ, exanthematicarum, morbillorum præfertim, de qua diximus fuperius, atque phrenitidis illa fingularis fpecies fpafmodica.

§. 58.

Phthifes vltimæ plurimorum affectuum neruoforum, feu fpafmodicorum, feu paralyticorum, feu denique deliriorum, vindiciæ, tandem in abfceffum fuppuratorium alicubi vifcerum, plerumque pulmonum, vel interftitiorum celluloforum corporis in membranis caua pectoris & abdominis inueftientibus, inter tot prodromos fpafticos, & initia hypochondriacorum affectuum perfimilia, abeuntium: & febres phthificæ, feu lentæ tabificæ, omni phthifi fub fecundo ftadio & fuppuratorio iam fefe fociantes, & reliquæ lentæ, hecticæ & cachecticæ, vtplurimum obftructionibus faltem vifcerum imi ventris debitæ, vel abfceffibus crudis adhuc, fcirrhofis &c. nondum cum vera fuppuratione coniunctis, tandem etiam in phthifin terminandæ: omnes hæ affectiones vltimas fuas origines ex fpecificis horum vifcerum læfionibus, lento fæpe modo & fere infenfibili contractis, ducunt. Atque fummopere fane mirandum, in tanta primo intuitu a fe inuicem diftantia adeo propinquum effe commercium primarum viarum cum illa virium animalium fingulari parte, qua puris generatio fit; abfceffusque non folum internos, fed etiam externos tam mirifice cum illis confpirare, vt nonnifi metaftafes effe videantur, veluti fupra de exanthematibus diximus, ex fpecifice vitiatis liquoribus inteftinalibus, ad fanguinem dein delatis, & ftupenda naturæ vi, qua ex vnico chylo in ftatu naturali non folum fanguinem, fed etiam vrinam, fudorem, omnesque reliquos humores coquere poteft, hoc cafu in pus verfis, vti alias in materiam tuffis, coryzæ, gonorrhœæ &c. & quamcunque aliam pro fpecifica indole fpecificum morbum parientem. Iftudque commercium probant tot Hippocratica *e)* præfagia ex præcordiis maxime, tot alia fignifican-

e) Ita Coac. 303. Alui durities cum dolore in febribus horroris fenfu infignibus, ac cibi faftidio laborantibus, nifi paululum humectata alvo purgationem faciat, ad fuppurationem tendet; vt adeoque alui profluuio, quod alibi paffim monet, fuppuratio plane intercipi poffit & foluatur. It. Coac. 126. in bile redundantibus magna fpiratio cum febre acuta & præcordiorum contenfione abfceffum iuxta aures promouet: & eiusdem fere argumenti Coac. 290. & Præd. I. 164. atque aliud Præd. I. 169. præcordiorum contenfio cum fopore, corporis incontinenti iactatione & capitis

ficantibus, ex quorum diuersa conditione ingeniosissimus obseruator vsque adeo collegit, num abscessus inferiora vel superiora loca petiturus sit. Praenot. 113. Sed redeamus ad phthisin. Saepius contrahitur crapulis potissimum iuuenilibus, & nimio rerum venerearum abusu: affectus animi, moeror, tristitia, ira &c. lento saepe gradu inter varias imbecillitates viscerum chylificationis inde contractus ad eandem deducunt. Pulcherrime etiam HIPPOCRATES Coac. 442. originem huius morbi declarat: praecordia sublata subsistente aluo malum denuntiant, praecipue vero in his, qui ex longo interuallo contabescunt, & quibus alui diffluunt. Atque in genere, quibus olim phthisis imminet, alui diutius liquidae, subcruda admixta habentes, per interualla spasmodicae, mediocriter foetidae, & odore excrementorum infantilium inter alia signa praesertim, laruas dolorum pectoris &c. inde verissime alibi Coac. 469. intestinorum laeuitates cum spirandi difficultate & pectoris morsu ad tabem tendunt. Ita de locis in homine: quibus lien intumescit, iisdem & corpus contabescit. *f*) Idem testantur tot haemorrhoidales scenae & molimina in omnibus phthisicis, vti vicissim ex his suppressis non raro

capitis dolore tubercula ad aures attollit; quod idem fere significatur Praed. I. 165. Coac. 183. 185. 209. 289. 290. 626. multaque alia huiusmodi oracula ibidem 189. 284. 287. 622. 280. 281. Praed. I. 166. Vnicam adhuc addemus elegantissimam praedictionem arthritidis olim affuturae Coac. 619. Quibus circa initia aluus turbatur, vrinae autem paucae sunt, temporis progressu aluus quidem resiccatur, vrina vero tenuis abundat, his abscessus ad articulos fiunt.

f) Ita FR. HOFFMANNVS in not. ad Poterium: frequentius fit phthisis a visceribus abdominis obstructis & induratis, nullo vitio principaliter existente in pulmonibus. Confirmant phthisicorum sectiones, ubi saepius viscera indurata ac pallida, bilis lixiuiosa, vel loco huius serum rubrum flauedine infectum, reperitur. vid. BARTHOL. Cent. I. hist. 75. anatomen phthisici, vbi plurimae mesenterii glandulae pisi magnitudine & ad magnitudinem fabarum conspiciebantur, item vesicula fellis bile inanita erat. Secui Mindae Westphalorum phthisicum cadauer, in quo hepar induratum cum pallore & vesiculam fellis loco bilis scoriis lixiuiosis refertam, lienem putrefactum & pulmones inflammatos cum empyemate inueni.

raro phthiſis oritur: neque diarrhœa illa colliquatiua de nihilo eſt, ſed eodem modo funeſta phthiſicis, ac aliis, inque periculoſiſſimis quidem morbis, propius inſtante morte vomitus & alui profluuia colluuiei deterrimæ, vel alia harum partium fatalia ſymptomata adſunt, vti multis exemplis ſuperius demonſtrauimus. Metaſtaſticæ phthiſes poſt febres varias acutas, malignas, variolas, morbillos, aliasque exanthematicas, quin & intermittentes præpoſtere ſuppreſſas, eosdem plane natales habent. De empyis, quos vocat HIPPOCRATES, i. e. phthiſicis generatim ex abſceſſu alicubi thoracis, poſt febres pectoris inflammatorias, vel reſtituendis, vel morituris ſigillatim elegantiſſima ſigna habet ex hoc genere, vti ſuperius etiam monuimus, Prænot. 108. 109. Abdominales phthiſes huc non pertinent.

§. 59.

Sed manum de tabula! In nimium excreſceret diſſertatiunculæ moles, quodſi omnia reliqua perſequi vellemus. Sed & hæc ipſa fere ſufficiunt. Percurrimus ex ordine fere omnes febres, bonam ſane partem Pathologiæ: inde tranſiuimus ad morbos ſine febre, & chronicos, quorum potiſſimos a capite ad pectus vſque pertractauimus: inde delabimur ad morbos viſcerum abdominalium, ſed horum nulli ad nos pertinent, niſi qui circa viſcera vropœa contingunt, adeoque fere dyſuria, iſchuria, ſtranguria, nephritis, calculus renum & veſicæ: reliqui fere ſunt eorundem idiopathici, de quibus ſermo hic non eſt. De morbis organorum generationis, eorumque nexu arctiſſimo cum primis viis ſuperius aliqua iam diximus in prologo, ſatis, vt credo, vel in tranſitu probantia: reſtarent itaque morbi extremitatum & cutanei a cauſis internis orti, adeoque fere arthritidis diuerſæ ſpecies & exanthemata chronica: dein etiam hydropes, morbi puerperarum, parturientium, infantum. Sed cum & ſparſim hos data occaſione attigerimus, partim etiam, quæ in tractatione noſtra priori, generali, diximus, ad eosdem referri poſſint, vtpote quæ ſola demonſtrationis loco eſſe potuiſſet, omnino ſcopo noſtro ſatisfeciſſe credimus. Facilis etiam eſt concluſio ex his allatis, multo pluribus

ribus, ad reliquos, paucus, & quilibet, vel in ſolo HIPPOCRATE, qui vnus inſtar omnium eſſe poteſt, ſatis teſtimoniorum inueniet, veritatis huius ulterius & per reliquos morbos confirmandæ. Nullis artificiis hic opus eſt, & longis inueſtigationibus. Veritas ipſa ſe offert, atque ingenuo ſuo candore ſeſe commendat. Nos hic ſubſiſtimus anguſtis quippe limitibus mediocris diſſertationis circumſcripti, & præfixum terminum iam longe transgreſſi.

DOCTISSIMO

DOMINO AVCTORI

DISSERTATIONIS HVIVS

S. P. D

PRAESES.

Mireris profecto, Poëtas Latinos, quos e proximis retro ſeculis coluit Antiquitas, & recentior adhuc tanquam claſſicos merito veneratur ætas, quibus in plena fuit poteſtate, carmina ſua elegantiis condire atque perfundere, vndique profundiſſimum ingenii acumen ſapientibus, iſtorum tamen ipſorum nucleos frequenter obtrudere nobis, adeo prudentia, & ſale, non dicam, chriſtiano, ſed humano ſaltem carentes, & inſipidos, vt non male iuuentuti conſulant, qui lectionem eorum ad maturiores differendam eſſe annos ſuadent. Inflant ſcilicet liberrimis, & dulciſſimis, at eo ipſo perículoſioribus tonis luxuriei & voluptatum tibiam, & hoc vtrumque non animæ modo,

ſed & corporis lethale venenum poëtico ita ſuo miſcent melli, vt incautus facile virus cum hoc deglutiat. Sufficiat, duo ſaltem allegare Q. HORATII FLACCI *loca, ita enim ille Carmin. Lib. I. Ode VII. ad Numatium Plancum, Conſularem:*

Albus vt obſcuro detergit nubila cœlo
Sæpe notus, neque parturit imbreis
Perpetuos: ſic tu ſapiens finire memento
Triſtitiam, vitæque labores
Molli Plance mero.

Et alibi, ſcilicet eorundem carminum Libro eodem, Ode XI. ad Leuconoën ſcribit:

Tu ne quæſieris (ſcire nefas) quem mihi, quem tibi
Finem dii dederint Leuconoë: nec Babylonios
Tentaris numeros, vt melius, quicquid erit, pati:
Seu plures hyemes, ſeu tribuit Iuppiter vltimam:
Quæ nunc oppoſitis debilitat pumicibus mare
Tyrrhenum ſapias, vina liques, & ſpatio breui
Spem longam reſeces, dum loquimur, fugerit inuida
Ætas: cape diem, quam minimum credula poſtero.

Vtinam vero non ſimili modo noſtra deſiperent tempora, & hæc poëtica, tantum non communis vulgi eſſet, & paſſim doctioris quoque populi vox! Manifeſta enim contradictione animi, quam ſuis ictibus, dum pulſant imminentia vitæ pericula fores, apertis prodit, hæc Epicuri conſilia ſequuntur, qui alto adeo ſupercilio ſpernere mortem ſatagunt, ſimulantue, quaſi vero lon-

longius vitæ filum breuiore non carius esset Summi eiusdem Auctoris beneficium, nullo Christianis certe, soluendum pretio?

Hæc interim cum ita se habeant, hominesque obseruemus adeo temere suo ludere de corio, ignaros etiam variæ lusus fortunæ, nexusque diuersorum ineuitabilium causæ huius & leuitatis effectuum physicorum, operæ sane pretium est, vt ipsi Medici serio humano generi vellicent aures, & clarius exponant argumentis, & ab experientia, & a priori ductis, quantum, quousque ita delirant, sua in propria sæuiant viscera, & euitabile fatum hac sua vesana viuendi licentia suam in perniciem accersant, eaque seruitute, qua se gulæ, ventriculoque submittunt, homine indignissima, oppido ineuitabile idem sibi reddant fatum.

Id vero Tu, Nobilissime Domine Candidate! in dissertatione Tua præsente solidissime præstitisti, hæc etenim obiectiones medicas huic hominum furori opponendas non per transennam tantum perlustrat, sed maxima cum seueritate colligit ponderosissimas, & summo iudicii acumine stringit, nexuque adeo scite ordinato proponit, vt & Medicis omni Te modo satisfacere quilibet intelligat Lector, & isti laxioris vitæ generis amici rigidissimos inueniant aculeos, quibus ipsorum conscientia non feriatur modo, sed & acerbissime compungatur, nisi voluptatibus extincta prorsus. Peramo sane, laudoque maxime illum in rebus medicis demonstrandi modum, qui felicissimo connubio experientiæ vbique rationem,

 &

& huic obſeruationes iungit, imo vero Tuas ego deductiones tanto maioris æſtimo, cum primorum ſalutaris artis noſtræ patrum ſcripta euolueris & conſulueris adeo ſollicite, nec enim inficias ire poſſumus, vtcunque forſan hæc laus iſtis Medicinæ primis ſcripta conditoribus recentioribus diſpliceat, vel deroget Medicis, illos quidem in obſeruando multo feliciores, attentiores, & caſtiores fuiſſe.

Quare impenſe Tibi gratulor de hoc eruditionis Tuæ medicæ ſpecimine non vulgari, gratulor Optimis Tuis Parentibus de Filio tantæ ſpei, morumque decentiſſima probitate non minus, ac ampliſſimo ſcientiarum theſauro ſeſe omnibus commendante ingenuis; qua cum emines vtraque iuuentutis academicæ rara prærogatiua, ſereniſſima quoque ſpes affulget, breui, quod ex omni animo precor, inſignibus Tuis meritis paria reſponſura eſſe præmia. Perge ſaltem fauere mihi, & me amare, reciproca vero a me amoris & amicitiæ officia quælibet expecta! Scripſi e Muſeo meo, calendis Martii A. R. S. MDCCLXI.

